eod. tit. nec beneficia juriſpatronatus, *c. dilectus, de jurepatr.* nec ad beneficia quibus cura animarum ineſt, *Clem. ult. de reſcriptis*, nec ad jam ſuppreſſa, & extincta, *c. cum acceſſiſſent, de conſtitutionibus*, vel jam unita, *Clem.* I. *§. quædam de exceſſ. Prel.* & alia de quibus Azor. *l. 6. 2. par. c. 32.* unde hic debet Abbas conferre beneficium ſæculare ſæculari. Quæ ad hunc textum ſpectant, expoſuimus *in c. Capitulum, hoc titul.*

C A P U T XLI.

Idem.

AB excommunicato, qui contra ſtatuta Concilii *a* generalis aſſerit ſe ligatum, litteris ad *b* excommunicatorem obtentis, ut ſi eſt ita, ſine difficultate abſolvat eumdem, & *c* aliis deputatis judicibus, qui (eo non parente) mandatum Apoſtolicum exequantur; non excommunicatori (qui de facto ſuo certus eſſe debet, licet hoc deferatur eidem) ſed illis cognitio demandatur.

N O T Æ.

1 a *COncilii* generalis.) De quo in *c. ſacro, de ſent. excom.* Sed cum ſententia excommunicationis, monitione præmiſſa, licet injuſta, valida tamen ſit, ut probat late Gibal. *de cenſ. fol.* 183. inde hic agitur de abſolutione illius, quod admodum difficile putarunt antiquiores, & Petr. Greg. *hic*.

b *Ad excommunicationem.*) Plerumque enim judex ſuperior remittit reum abſolvendum ad inferiorem, a quo fuit prolata ſententia, quia judex inferior etiam poſt appellationem interpoſitam habet poteſtatem revocandi gravamen, & ſic abſolvendi ab ipſa cenſura, *c. ſi a judice, de appell.* Quod enim dicitur *in c. cum appellationib. de appell. l. 6.* judicem videlicet inferiorem poſt appellationem abdicaſſe omnem juriſdictionem, accipiendum eſt ita, ut ſemper retineat poteſtatem abſolvendi a cenſura a ſe inflicta, ut docet Joſeph Gibal. *de cenſur. fol.* 416. & ſic juxta regulas recte Petr. Greg. *in præſenti* ait, remiſſum fuiſſe reum judici inferiori, ut ab eo abſolveretur.

c *Aliis.*) Non ſolum ipſe judex, qui excommunicationem protulit, poteſt ab ea abſolvere, verum & ſuperior ab eo delegatus, ſeu datus, ut probat Gibal. *de cenſoris fol.* 421. & nos dicemus *in c. 8. de officio ord.*

Textum hunc expoſui ſup. *in c. dilectus* 26. ubi de excommunicatis reſcriptum impetrantibus valide, vel invalide egi.

C A P U T XLII.

a Idem.

SI proponente aliquo, nondum ſe beneficium Eccleſiaſticum aſſequutum, ſuper proviſione ipſius (licet minus competens obtinentis) reſcriptum Apoſtolicum de hoc mentionem non faciens impetretur, illud veluti fraudolenter obtentum dicimus non valere.

N O T Æ.

1 a *IDem.*) Gregorius videlicet IX. qui motu proprio, & a nemine conſultus præſentem conſtitutionem edidit. Pro explicatione doctrinæ, quam diſputavit ſupra *in c. ad aures* 8. *hoc titul.* vide ibi dicta, ex quo commentario præſens ſupplendum eſt.

C A P U T XLIII.

Idem *Epiſcopo* a *Pariſienſi*.

1 QUia nonnulli diverſis modis litteris Apoſtolicis abutuntur, ſtatuimus, ut quicumque obtentas ſub nomine ſuo litteras aliis ejuſdem nominis tradunt *b*, qui quos volunt, fatigant indebite per eaſdem; & qui eas tali modo recipiunt, quique illos, contra quos nihil habent quæſtionis, faciunt in judicium evocari, aut litteras ipſas ad *c* futuras trahunt controverſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ; ſeu quemquam ſuper uno negotio, vel etiam malitioſe ſuper pluribus perſonalibus actionibus, quæ ſub uno *d* judice poſſent tractari commodius, per varias litteras coram diverſis judicibus trahunt, ut laboribus fatigatus & ſumptibus, vel compellatur componere, vel cedere juri ſuo, aut reus actorem eodem tempore ad diverſa loca, vel indeterminate ad villam, quæ commune cum pluribus ejuſdem provinciæ vilis habet vocabulum, citari procurat, ut dum non comparuerit, excommunicetur, quaſi contumax, & ſic eum a ſua intentione repellat: earumdem litterarum commodo careat, & adverſarii in moderatis *e* expenſis, ac damnis, quæ propter hoc eos pertuliſſe conſtiterit, condemnetur. 2 3 4 5

N O T Æ.

1 PAriſienſi,) Pariſienſis urbs Galliarum primaria, Regni caput, de qua Ludov. Calcondil. *l. 2. hiſtor.* ſic ait: *Urbs maxima eſt civitas Pariſiorum; ſedes eſt & caput totius regni, ſive pulchritudinem, ſive multitudinem populi, mores civiles, atque humanitatem conſideres.* Lutetia dicitur a Cæſare *l. 7.* Strabone *l.4. Regni Galliæ*, & Principum ſedes eſt: plura de ejus origine & magnitudine tradunt Fr. Sarmat. *t.1. Galliæ Chriſt. fol.* 396. Chenut *in chronol. ipſius Eccleſiæ*. Cathedralem ejus Eccleſiam conſtruxit, & B. Virgini dicavit Chidelbertus, ut referunt Fortunatus *l.2. c.11.* Aymonius *de geſtis Francorum, l. 1. c.27.* Temporibus Gregorii IX. tantum Epiſcopali Cathedra decorata erat, poſtea a Gregorio XV. poſtulante Ludovico XIII. anno 1123. in Metropolim erecta fuit. Ejus Epiſcopo Guillelmo, qui ex Eccleſia Antiſſiodorenſi translatus fuit, reſcribit in præſenti Gregorius.

b *Tradunt.* Hanc partem expoſui *in c. nonnulli* 28. *§. Sunt hoc tit.*

c *Ad futuras.*) Niſi per eas litteras conſervatores concedantur, qui pro injuriis coercendis ad futura negotia dari ſolent, ut probavit *in c. ad hæc* 16 *hoc tit.*

d *Sub uno judice.*) Omnia enim, quæ ad eamdem cauſſam pertineat, coram eodem judice ſunt tractanda, *l. non cogitur* 22. *ff. de judic. l. nulli* 10. *C. eod. l. fin. ff. rem pupilli, l. omnes* 5. *C. arbitrium tutelæ, c. diſpendia, hoc tit. in 6. l.12. tit.1. l. 8. recopil.* Explicant Carleval *de judic. tit. 1. diſp. 2. n.*899. *& t. 2. tit. 1. diſp. 2. n.* 5. Petrus Barboſa *in l. ſi quis poſtquam, n. 90. ff. de judic.*

e *Expenſis.*) Si contradicta fuerit cum effectu, *c. ex tenore, hoc. t. c. diſpendia, hoc t. in 6. Clem. 1. eod. t.* id eſt ſi duplicibus litteris utatur, non ſi plura reſcripta impetravit; & eis non utatur, nam tunc impetrator propter affectum tantum non punitur, ut probant Angujan. *l. 2. de leg. c. 8. n.* 46.

T I T U L U S IV.

De Conſuetudine.

C A P U T P R I M U M.

Gregorius *in Regeſta, ad Felicem Epiſcopum* a *Meſſanenſem*.

COnſuetudines, quæ Eccleſiis gravamen noſcuntur *b* inducere, noſtra nos decet conſideratione remittere, ne illuc aliqua cogantur inferre, unde ſibi inferenda debet potius expectare. Clericorum ſiquidem aliorum conſuetudinem te oportet illibatam ſervare, eiſque annis ſingulis, quæ ſunt conſueta *c* tranſmittere. Nobis autem de cetero, ne quid tranſmittere debens *d* inhibemus. Et quoniam non delectamur *e* xeniis, *f* palmatianas quas tua direxit Fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepimus, ſed eas, ne quod exinde potuiſſes ſentire diſpendium, digno fecimus pretio *g* venumdari, & id fraternitati tuæ tranſmiſimus ſigillatim. Sed quia charitatem tuam ad nos venire velle cognovimus, ſcriptis præſentibus admonemus, ut ad veniendum non debeas laborem aſſumere, ſed ora pro nobis, ut quanto nos itineris intervalla diſſociant, tanto animis noſtris ad invicem, Chriſto adjuvante, ſimus in charitate conjuncti: quatenus nos alterna obſervatione juvantes, ſuſceptum officium venturo integrum judici reſignemus.

NOTÆ

N O T Æ.

1 a *MEſſanenſem.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. in ipſo regeſto D. Gregorii, ubi *l. 1.ep.64.* reperitur textus hic. Meſſana perantiqua, & præclara Siciliæ civitas eſt, cujus meminerunt Strabo l.6. Polybius *l.2.* relati ab Abbate D. Rocho Pirro *t. 1. Siciliæ Sacræ, notit.* 2. Habet Eccleſiam Cathedralem a temporibus Apoſtolorum; ſiquidem, ut aliqui volunt, a D. Paulo primus Meſſane Epiſcopus Bachirius fuit conſecratus; ſeu, ut alii volunt, D. Petrus primum ibi Epiſcopum conſtituit: quas opiniones examinat D. Rochus Pirro *d. n.* 2. ubi de veritate epiſtolæ miſſæ a Deipara Virgine Meſſanenſibus agitur. In præſenti reſcribit Gregorius Felici ejus Eccleſiæ Epiſcopo, cui & alias epiſtolas miſit, ut conſtat *ex l.1. indict.* 10. *& l.12. indict. 7. epiſt.* 10. *&* 32. ejuſque mentio ſit *in c. quædam* 35. *q.3. c. ad Sedem* 35. *q.5.* & de eo plura D. Rochus Pirro *ubi ſupra*.

2 b *Inducere dignoſcuntur.*) Horum verborum occaſione omnes repetentes in præſenti agunt de conſuetudinibus a laicis introductis, per quas gravamen Eccleſiis infertur: ſed ſi recte hujus textus integra littera perpendatur, prout eam damus ex d. epiſtola 64. a D. Gregorio non improbantur conſuetudines laicorum, ſed Epiſcoporum clericorumque, qui eas cum magno Eccleſiarum diſpendio introducere intendebant.

3 c *Tranſmittere.*) Jubet Gregorius piam conſuetudinem gravamen non inferentem Eccleſiis obſervari. Illis enim ſæculis in uſu erat, ut clericis quotidie ultra præbendam aliqua diſtributio daretur. Ivo Carnotenſis *ep.* 219. Amplius & Clerici, ut ſuos Epiſcopos colerent, ac debito honore proſequerentur, certis temporibus eulogias illis mittebant. Conc. Meldenſe *can.*45. ibi; *Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo viſitare, & venerari Epiſcopos ſuos.* Leo IV. *epiſt. 2. ad Epiſcopos Britan.* ibi: *De eulogiis ad ſacra Concilia deferendis nihil invenimus a majoribus terminatum, ſed ſicut unicuique Presbytero placuerit.* Hincmarus Rhemenſis: *Nolite quaſi pro aliquo auditorio ad quamcumque rem denarios apud Presbyteros poſtulare, nec eulogias exigatis: ſed ſicut forte commodum fuerit aliquid offerre, cum gratiarum actione ſuſcipite.* Nec ſolum Clerici Epiſcopis propriis eulogias mittebant, verum & ipſi Epiſcopi Clericis, ceteriſque fidelibus per vicos & pagos diſperſis, ut ſic in unius orthodoxæ Religionis Chriſtianæ communione vivere crederentur, ut obſervarunt Albaſpinus *l.1. obſ. c.8.* Benedictus Ephtnus *l.4. diſq. monaſt. tr.4. diſq.4.* & illis ſæculis cœpit vice eulogiarum panis benedictus mitti, quod Synodus Laodicena *can.* 14. ſic prohibet, *Sanctas oblationes ad vicem eulogiarum per feſtivitatem paſchalem ad alias parochias mitti minime oportere.* Pius Pontifex in ſuo decreto, quod extat *t.1. Conc.* & explicat Baronius *ann.* 313. *n.*52. Iſtas autem elogias ab excommunicatis, & extra gremium Eccleſiæ exiſtentibus accipere non licebat. Concilium Laodicenum *can.* 52. *Quod non oportebat hæreticorum eulogias accipere.* Aliæ etiam erant eulogiæ, quas amici inter ſe ad invicem mittebant, quarum plura exempla extant apud Paulin. *ep. 1. ad Sever. & ep.4. ad Aug.* & eſculenta, aliaque munuſcula vice eulogiarum mittebantur, ut conſtat ex vita Frontoni, quæ extat *t.1. in viris Patrum*, ubi quidam dives vice eulogiarum illi miſit camelos, & alias res. Munera etiam S. Antonium ſuis benefactoribus mittere conſueviſſe, refert S. Athanaſius *in ejus vita, c.* 26. Similiter Euſtachius mittebat D. Hieron. armillas, columbas, caniſtrum fructibus plenum, ut ipſe Sanctus teſtatur *ep.* 19. & etiam Marcella eidem Sancto mittebat ſaccum, calices, & ſimiles res, pro quibus illis gratias agit *ep.*20 Etiam nomine eulogiarum reliquiæ Sanctorum mittebantur. Greg. Magnus *l.11. ep.* 49. *Eulogias vero S. Marci a Beatiſſima Fraternitate veſtra tranſmiſſas; cum ea charitate qua tranſmiſſæ ſunt, ſecundum notitiam earum ſuſcepimus.* Et *l.2. ep.13. & 47. & l.7. ep.34. &* 128. Hanc igitur conſuetudinem tranſmittendi aliquid ad invicem jubet Gregorius illibatam ſervari, cum per illam gravamen Eccleſiis non inferatur, ſed tantum communio fidelium conſervetur, & demonſtretur.

4 d *Inhibemus.*) Non ſolum Clerici, ut honorarent Epiſcopos, munera illis mittebant, verum & ipſi Epiſcopi Romanum Pontificem ultroneis muneribus, & largitionibus debito honore proſequebantur, ut conſtat ex pluribus epiſtolis ipſius Greg. Magni, præcipue ex d. epiſtola 49. & aliis, quas illuſtrat Nicolaus Lemaiſtre *l.2. de juribus Epiſcop. c.3.*

5 e *Xeniis.*) Xenia, ſive encenia, ſunt munera, ſeu munuſcula, quæ inter conſanguineos, aliaſque perſonas mitti ſolent. Apud Romanos a provincialibus provinciarum Rectoribus xenia mittebantur, *l. ſolent 6. §. 3. ff. de offic. Proconſ.* quæ deinceps offerri, ſeu mitti vetarunt Imperatores *in l. un. C. Theod.* ne damna provincialibus infligerentur. Plinius *l. 5. ep. ad Valeriam: quam juvat, quod in cauſſis agendis non modo pactione & munere, verum etiam xeniis abſtinui.* Quem locum illuſtrat Fredericus Brumer. *ad leg. Cinciam c.7.* Etiam principibus mittebantur xenia, *l. laudabile 4. C. de officio diverſ.* Eſculenta etiam & poculenta pro xeniis mitti ſolebant, de quibus *in c. ſi diligenti, de decimis, in quinta compil. Niſi forſan aliqua xenia ſint.* Et generaliter pro muneribus xenia ponuntur in Concilio Aurelian. I. *can. 10. Ut nullus Presbyter ad introitum Eccleſiæ xenia donet.* Plura de xeniis Demeſter. *ad Roſinum, l. 1. fol. 39. &* 40. Claudius Minois *in emblem. 45. Alciati*, Cironius *ad dict. c. ſi diligenti* Cujacius *in l. & quia 6. de juriſd.* Ritherurſius *in notis ad Salvian. fol.* 562. Bartholin. *in annot. tom. 6. theſauri*, Tamayus a Salaxar *in Martyr. Hiſp. tom. 1. fol.* 7. Pratejus, Briſſonius, & alii *de verbis Juris, verbo Xenia*, Brumerus *ad l. Cinciam, c.* 7.

f *Palmatianas.*) Earum meminit Imperator *in l. 1. C. de grege domin. l.* 11. Palmatianæ ſunt fructus palmæ, quos nos vulgo appellamus, *Datiles*, Zerda *in adverſ. c.176. n.*19. Meurſius *in Gloſſario, v. Palmatiana.* 6

g *Venumdari.*) Gregorius vendere juſſit palmatianas, & pretium Epiſcopo Meſſanenſi miſit, quia Romæ magnæ æſtimationis non erant, cum ſolum aſportarentur ex Africa, ubi dantur; tantum enim in illis partibus Africæ, propter nimium calorem producuntur, ut notat Laguna *ad Dioſcoridem l. 2. c.* 126. unde cum Gregorius reſpuiſſet xenia, multo magis palmatianas, quæ non ſine magno diſpendio Eccleſiæ Meſſanen. illi mittebantur. 7

COMMENTARIUM.

EX fragmento hujus epiſtolæ a Raymundo in præſenti reſcripto, ſequens communiter deducitur concluſio. *Conſuetudines, quæ gravamen Eccleſiæ inferunt, obſervari non debent.* Probant eam textus *in c. mala*, 8. *diſt. c. uſus, c. conſequens*, 11. *diſt. c. omnia*, 12. *diſt. c. ad noſtram, c. cum venerabili, c. finali, hoc tit. c. cum cauſſa 8. de re judic. c. cum terra, d. elect. c. ex frequentibus, de inſtit. c. 1. de his, quæ fiunt a majori parte, c. clerici 8. de judiciis, c. quanto, de cenſibus, c. noveris, de ſent. excom. c. 1. hoc tit. in 6. c. unico, de clericis non reſid. eod. l. c. 2. de pœnit. & remiſſ. eod. l. Clem. 2. de rebus Eccleſiæ*, Concilium Saliſburgenſe tempore Martini V. *can. 3. Conſuetudines, quæ gravamen Eccleſiis inducere dignoſcuntur, invalidas publicamus.* Authentica *caſſa. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Illuſtrant ultra relatos a Barboſa in noſtro textu, Azor. *t. 1. inſtit. l. 9. c.* 19. Suarez *de legibus, l. 7. c. 18. & 19. & in defenſ. fidei, l. 4. c.* 32. Martha *de juriſd. 4. part. centuria 1. caſu* 63. Sanchez *de matrim. diſp. 4. per totam*, Baſilius *eodem tr. l. 6. c. 5. &* 6. Rochus de Curte & Sahagun *in c. finali, hoc tit.* Hallier. *de ſacris election. art. 4. ſect. 7. c.* 1. Caniſius *in dicto c. ultim.* Sichard. *in rubrica C. quæ ſit longa conſuetudo, n.* 13. Gratianus *t. 5. diſcept. c. 894. n.* 27. Alii relati ab Hunnio *in encyclop. tit. 4. q. 2. de conſuetudine* Lælius Mancinus *genial. centur. 2. c. 107. &* 108. Bocerus *t. 1. claſ. 1. diſp.* 4. 8 Concluſio traditur, & probatur.

Sed hæc aſſertio difficilis redditur ex ſequenti conſideratione: nam conſuetudinis non levis auctoritas eſt, *l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo*, utpote ipſis legibus antiquior, ut *ex l. 1. ff. de curatore furioſi*, probat Goveanus *in l. 1. vulgari*: imo conſuetudinem eſſe alteram naturam, probat Philo Judæus *l. de Abrahamo*, ibi: *Inveterata conſuetudo plerumque tantum poteſt, quantum natura.* Philoſophus *l. 7. de moribus*; & in hoc ſenſu conſuetudinem pro natura, & e contra, accipi *in l. ſi quis poſthumus 9. ff. de liberis, & poſthumis, leg. ſed ſi damnum 9. §. ſi ipſe ſervus, ff. de peculio, l. in cauſſa, §. idem Pomponius, ff. de minorib. l. item; §. quemad. ff. locati, l.2. §. ex his legibus, ff. de origine juris*, notat Vaſconcellus *ad noſtrum titulum*. Conſuetudo enim eſt jus moribus utentium introductum, habens vim legis, *l. de quibus, ff de legibus, l.1. ff. de aqua pluvia, c. conſuetudo, 1. diſt. §. ſine ſcripto, Inſtit. de jure naturali*, Seneca *l. 5. de benefic. c.* 21. ibi: *Multa legem non habent, nec rationem, ad quæ conſuetudo vitæ humanæ lege omni valentior dat habitum.* Cujacius *l. 20. obſerv. c.* 1. Reyardus *de auctorit. prudentum, c.* 16. Donellus *l. 1. comment. c.* 10. imo laudabilior eſt ſæpius conſuetudo, quam lex, cum lex coactum jus, conſuetudo vero ſit voluntarium; lex in tabulis, conſuetudo in animis cuſtodiatur: & vera legis interpres eſt, *c. cum dilectus, hoc tit. l. ſi de interpret. ff. de legibus*: ſuperat legem, ſiquidem deſtruit, abrogat, emendat, *dict. l. de quibus; c. finali, hoc tit. §. fin. Inſtit. de except.* Cujacius *l. 2. feudorum, c.* 1. Duarenus *l. 1. diſp. c.* 32. Petrus Faber *l. 2. ſemeſtr. c.* 22. & certum principium juris eſt, conſuetudinem legitime præſcriptam eſſe ſervandam, *l. cum de lanionis; §. aſinam, ff. de fundo inſtructo, leg. ſi ſervus plurium, §. final. ff. de legat. 1. l. ſi publicanus, in fine, l. citatio, §. eadem, ff. de publicanis, l. non tamen, ff. de donat. leg. 3. C. de Epiſcop. audientia, l. ſi quis donaturus, ff. de uſufructu, l. venditor, §. ſi conſtat, ff. communia prædiorum, l. quod ſi nolit, §. qui aſſidua, ff. de edilit. edicto, leg. ſi fundus, ff. de evictionibus, l. 3. §. ult. ff. de teſtibus, l. ſine herede, §. Lucius, ff. de adminiſtr. tut. l. cum alimenta, ff. de alimentis, l. nummis, ff. de pollicit. l. ſemper, ff. de legat. 3. l.1. ff. de decur. l.1. §.1. ff. de albo ſcribendo, leg. ut gradatim, §. etſi lege, l. honor, l. munerum, §. mixta, ff. de munerib. & honorib. l. 1. C. de paſcuis publicis, l. uſum aquæ, C. de aquæductu, l. ſi non ſpeciali, C. de teſtam. l. in totum, C. de ædificiis privatis, l. ob metallum, C. de metallis, l. 12. leg. ſuper, C. de jure fiſci*, & veteres conſuetudines fidei non contrarias obſervandas eſſe docent *in c.2. de frigidis*, & Gregorius *in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ*, ibi: *Mihi placet, ut ſive in Romana, ſive in Gallicana, ſive in qualibet Eccleſia inveniſti, quod plus omnipotenti Deo placere poſſit, ſollicite eligas.* Et provinciarum privilegia ex conſuetudine metienda eſſe ſtatuit Synodus Nicæna *can.* 6. ibi: *Antiqui mores obtineant.* Idemque poſtea Synodus Epheſina conſtituit *can.* 7. Igitur conſuetudo, ſi legitime præſcripta eſt, etſi gravamen exinde Eccleſiæ ſequatur, obſervanda eſt. Augetur hæc dubitandi ratio ex variis juris teſtimoniis, in quibus conſuetudo cum Eccleſiæ gravamine admittitur, & approbatur; nam quis negabit conſuetudinem non ſolvendi decimas, Eccleſiæ gravamen inferre, & tamen approbatur *in c. cum ſint homines, c. Apoſtolicæ, c. in aliquibus, de decimis.* Similiter conſuetudo percipiendi fructus præbendarum Eccleſiæ valde damnoſa eſt, cum per eam minuatur cultus divinus; & tamen approbatur, *c. penult. de conſtit.* Similiter conſuetudo permit- 9 Impugnatur præſens aſſertio.

tens

tens clericis teſtamentum facere de bonis, intuitu Eccleſiæ acquiſitis non leve gravamen infert Eccleſiæ, quæ ſuccedere in eis debebat, *ex c. 1. c. cum in officiis, de teſtam.* & tamen talis conſuetudo obſervatur, *c. relatum, el 2. de teſtam. l. 13. tit. 6. part. 1.* dicemus *in dict. c. cum in officiis*: ergo conſuetudo, quantumcumque gravamen Eccleſiæ inferens obſervanda eſt.

10 De jure non ſcripto. Sed antequam huic, & aliis difficultatibus ſatisfaciamus, aliqua præmittenda ſunt: & primo ſciendum eſt, jus Eccleſiaſticum, ſicut & jus civile conſtare jure ſcripto, & non ſcripto, *c. Catholica, 12. diſt.* unde judices cognitores in Concilio Chalcedonenſi recte petierunt ab Anaſtaſio Epiſcopo Nicæno, qua ratione probare vellet Eccleſiam Baſilinopoleos ſubjectam eſſe Nicenæ, an ſecundum canones, an ex conſuetudine aliqua, *in actione 13.* & annis aliquot ſuperioribus Fauſtinus Legatus Romanæ Eccleſiæ dixerat in præfatione Concilii Africani, aliqua teneri canone, aliqua vero conſuetudine: quare Photius *in Nomocan. tit. 1. c. 3.* recte adnotavit Eccleſiaſticam conſuetudinem non ſcriptam, perinde ac legem ſervari. Quidquid enim ſacris Scripturis, Conciliorum Canonibus, Pontificum decretis definitum eſt, jus ſcriptum dicitur; quod vero a majoribus acceptum per manus traditum, ſeu generali conſuetudine receptum eſt, jus non ſcriptum appellatur; & hoc duplex eſt, publicum videlicet, & privatum: publicum circa res ſacras, quod traditionibus Eccleſiaſticis conſtat: privatum circa res humanas ex uſu hominum proveniens, quod dicitur conſuetudo, *c. conſuetudo, 1. diſt. c. conſuetudinis, 11. diſt.* Et ſicut jus non ſcriptum apud Romanos præceſſit omnes leges etiam duodecim Tabularum, *l. 1. ff. de curat. furioſi*, Goveanus *in l. 2. n. 1. ff. de vulgari*: ita traditiones Eccleſiaſticæ, omnia Concilia, & Pontificum decreta præceſſerunt. Primis enim illis temporibus Eccleſiæ naſcentis fideles traditiones Eccleſiaſticas obſervabant abſque ulla ſcriptura. D. Chryſoſtomus *homil. 4. in ep. 2. ad Theſſalon. Unde perſpicuum eſt, non omnia Apoſtolos tradidiſſe per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea eſſe fide digna; quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam.* Et de hoc jure non ſcripto expenditur illud D. Pauli *ad Tim. c. 6. Depoſitum cuſtodi*; id eſt traditiones Eccleſiæ. Irenæus *l. 3. c. 3.* Triplex genus eſt traditionum. Primum juris divini, de quibus in Synodo 5. Conſtantinop. *action. 10.* in 6. Synodo, *action. 1.* Trid. *ſeſſ. 4.* & intelligitur D. Paulus ad Hebræos, *Quod non habemus ſcriptum in Evangelio*: & 1. *ad Corint. c. 15. 16. & 20.* ideo dicitur Evangelium datum eſſe in corde Eccleſiæ, quia conſtat datum eſſe per traditionem ab ipſo Chriſto Domino, & ab eo accepiſſe Apoſtolos, & ab iis traditum Gentibus. D. Paulus 2. *ad Thim. c. 2. & ad Theſſal. c. 2.* Exempla harum traditionum extant *in c. Eccleſiaſticarum, 11. diſt. c. cum Marthæ de celebr. Miſſ.* Trid. *ſeſſ. 24. c. 1. & ſeſſ. 22. c. 2.* & aliis congeſtis a Fr. Anton. Perez *in Pentat. fidei, integro volum. de tradit.* Suarez *l. 7. de leg. c. 4. a n. 9. & de fide diſp. 5. ſect. 4.* Ideo in his traditionibus Eccleſia non poteſt diſpenſare. Trid. *ſeſſ. 21. c. 2.* Secundum genus traditionum eſt earum, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt propria Apoſtolica auctoritate: quaſdam referunt ipſi Apoſtoli, 1. *ad Timoth. c. 2. & 5. & ad Cor. c. 7.* & SS. PP. relati a Cov. *l. 4. var. c. 19. & 20.* Vargas *de juſtitia, q. 5. art. ult.* In hoc ſecundo genere traditionum poteſt Pontifex diſpenſare, *c. propoſuit, de conceſſ. præb.* Gloſſa *v. Apoſtoli, in c. ſunt quidam, 25. q. 1.* Cov. *2. part. de ſponſ. c. 9. §. 6.* Sotus *de juſt. l. 5. q. 1. art. 4.* Ad Tertium genus ſpectant traditiones inſtitutæ per Epiſcopos in ſua provincia vel diœceſi, in qua tantum vigent, & obligant, *c. ſicut ſancta, c. illud, c. ridiculum, c. illa, c. novit, c. omnia, diſt. 12.* Omnes traditiones circa res divinas ex uſu Eccleſiæ, & conſuetudine gentium dicuntur ritus, ut probat Carolus Sigonius *de jure Roman. l. 1. c. 8.* in quo differunt a conſuetudine, quæ poteſt eſſe circa res humanas, & ex uſu hominum; & cum traditiones ad jus publicum Eccleſiaſticum ſpectent, de eis in præſenti non agitur, quare earum tractationem omittimus. Videndi ſunt pro earum auctoritate ſcribentes, Baronius *in apparatu, n. 38. & ann. 53. & ann. 169. n. 19. & anno 173. nu. 11. 175. n. 5. 196. n. ult. 214. n. 2. 217. n. 3. 225. num. 7. 258. n. 38. 259. n. 1. 266. n. 4.* Carrier. *t. 2. Digeſti fidei, tit. de tradit. Eccleſ.* Caſtro *l. 1. contra hereſes, c. 5. & l. 5. de hæreticorum punit. c. 4.* Simancas *de catholicis, c. 23.* Canus *l. 2. de locis c. 7.* Bellarm. *t. 1. controv. de verbo Dei, c. 4.* Sauſay *in panoplia Cleric. part. 1. l. 2. c. fin.* Vivar. *in apolog. pro Flavio Dextro, §. 2.* Gibal. *t. 2. ſcient. can. l. 5. c. 1. cum ſeq.*

11 De conſuetudine. In præſenti ergo titulo agitur tantum de jure non ſcripto, circa res humanas, quod conſuetudinem dicimus; nam licet aliquando jus ſcriptum appelletur conſuetudo, *c. conſuetudo, diſt. 1. c. cum dilectus, hoc. tit.* & in Gallia lex Salica appelletur conſuetudo, Marculf. *in formulis, c. 12.* tamen conſuetudo proprie accepta eſt jus non ſcriptum, *§. ex non ſcripto, Inſtit. de jure natur.* adeo ut ſi poſtea ſcribatur, ſemper conſuetudo maneat, *c. 1. de jurejur. l. 6.* docent Sahagun *in c. fin. hoc tit.* Oſuald. *ad Donel. l. 1. c. 10.* Conſuetudo ergo eſt *jus quoddam moribus introductum, quod pro lege obſervatur*, *c. conſuetudo, 1. diſt.* docent repetentes *ad leg. de quibus, digeſt. de leg.* Donellus *dict. c. 10.* Bocerus *t. 1. claſ. 1. diſp. 4.* & alii infra laudandi; loco generis ponitur, *jus* prout ſignificat regulam juſti, ut probat textus *in c. jus generale, 1. diſt.* Adjicitur, *moribus introductum*, quia mores hominum introducunt conſuetudinem, & illam faciunt; eaque de cauſſa reſpectu ejuſdem conſuetudinis mos habet per ſe modum cauſſæ ad cauſſatam; & licet aliquando pro eodem uſurpentur mos, & obſervantia; nihilominus tamen in ſe maxime differunt, ſiquidem mos proprie ſumptus, conſuetudo eſt imperfecta; textus ita intelligendus *in c. nos, 1. diſt.* idque in uſu dicendum eſt, quiſquidem proprie importat actus illos, ex quibus conſuetudo conficitur, ut docent Decius *in præſenti rubrica, n. 2.* Cabreros de Avendanno *de metu l. 2. c. 36.* Lælius Mancinus *genial. c. 107. & 108. & de triplici juris collat. c. 226.* Tandem dicitur, *quod pro lege obſervatur*; ut agnoſcantur effectus conſuetudinis, de quibus agemus *in c. fin. hoc tit.* Ut autem conſuetudo vim & auctoritatem legis habeat, tria concurrere debent, videlicet uſus longævus, Principis conſenſus, & rationabilis cauſſa: docent DD. *in d. l. de quibus*, & de conſuetudine agentes. Uſum longævum deſideramus, id eſt diuturnitatem temporis, unde inveterata dicitur conſuetudo *in l. de quibus 32. ff. de legib.* & diuturna *in l. 33. eod. tit.* Longa *in l. ſed ea, ff. eod. c. fin. hoc tit.* Ceterum quot anni deſiderentur ad inducendam conſuetudinem vim legis habentem, non conſtat apud DD. Gloſſa, & Bartholus *in d. l. de quibus, n. 14.* Jaſon *n. 43.* docent decem vel viginti annis induci perfectiſſimam conſuetudinem. Hottom. *in d. §. ſine ſcripto*, & Mela *miſcel. c. 5.* exiſtimant tantum tempus deſiderari, quantum ſuperſtitum hominum nec ætas, nec memoria comprehendere poſſit, *argumento, l. 1. §. ult. juncta l. ſeq. ff. de aqua & aquæ pluviæ*. Judicis arbitrio hoc definiendum pro negotii qualitate relinquunt Corraſius *in dict. l. de quibus*, Duarenus *ad tit. de legib. c. 11.* Ant. Faber *in oration. ad l. 38 de legib.* Menochius *de arbitr. caſ. 32. n. 8.* Oſuald. *ad Donel. l. 5. c. 10. litt. F*, Baſilius *l. 6. de matrim. c. 5.* Martinez de Prado *t. 1. Theol. moral. c. 3. de legib. qu. 13.* per textum *in l. 1. ff. de jure deliber.* Alii, quos ſequitur Leſſius *l. 7. de juſtit. c. 6. dub. 14.* diſtinguunt inter conſuetudinem, quæ introducitur ignorante Principe, & quæ inducitur eo ſciente. Sed receptior opinio eſt eorum, qui diſcrimen conſtituunt inter conſuetudinem, quæ eſt præter jus; ita ut ſi ſit præter jus ſcriptum, deſiderentur tantum decem anni; ſi vero contra jus, deſiderentur quadraginta, ut *ex c. ut litigantes, de offic. ordin. in 6. c. cum de beneficio, de præb. eod. l.* docent Suarez *l. 7. de leg. c. 15.* Gratianus *diſcept. forenſ. c. 395.* Hunnius *in encycl. tit. de conſuet. n. 25.* Per illud tempus debent actus populi intervenire, quia non verbis, ſed factis conſuetudo introducitur, *dict. leg. de quibus*: & debent eſſe voluntarii, non coacti, ut pluribus relatis defendit Avendan. *de metu l. 2. c. 36.* ubi expendit textus *in l. ſi privatus, 17. ff. qui & a quibus, c. quia cognovimus 10 q. 3.* Cum enim in conſuetudine conſenſus ſit cauſſa præcipua, *dict. §. ſine ſcripto*, & per coactionem deficiat conſenſus, *l. nihil 116. §. 1. de regul. juris*; conſequens eſt, conſuetudinem induci his actibus non poſſe. Debent etiam eſſe uniformes, cum ex difformibus conſenſus intelligi non poſſit. Deſideratur & actuum frequentia; utrum vero debeant eſſe judiciales, vel ſufficiant extrajudiciales, diſputant *ſupra c. 11.* Hunnius *nu. 16.* qui reſolvunt ſufficere actus extrajudiciales. Gibalinus *t. 2. ſcient. can. l. 6. c. 2. per tot.*

Secundo deſideratur Principis conſenſus, *dict. §. ſine ſcripto*, 12 De requiſitis conſuetudinis.
Suarez *ſupra c. 13.* Tuſcus *litt. C. concl. 795.* quia populus nequit conſuetudinem auctoritatem legis habentem inducere, niſi mediante tacita, vel expreſſa approbatione Principis, penes quem reſidet auctoritas legislativa, poſtquam populus in eum illam tranſtulit. *c. cum conſuetudinis 9. hoc tit. l. fin. Cod. de teſtam.* D. Th. *2. 2. q. 97. art. 3. ad 3.* Beſoldus *t. 1. polit. de jure majeſt. ſect. 3. c. 2. n. 2.* Quare improbatur conſuetudo introducta in caſu textus *in c. illud, 99. diſt.* quod præcipue procedit jure canonico attento, quia ad leges canonicas ferendas nulla eſt poteſtas in populo, nec in ipſo ſine capite, non tamen deſideratur conſenſus perſonalis, ut communi ſententia interpretum receptum eſt: nec expreſſus, vel poſitivus; ſufficit enim interpretativus, vel tacitus ex ipſa tolerantia præſumptus, ut ex D. Th. docet Suar. *ubi ſup. n. 10.* Si tamen per errorem Princeps conſentiat, non ſufficit talis conſenſus, quia conſentire non intelligitur, qui errat, *l. ſi per errorem, ff. de juriſd.* tandem deſideratur, ut conſenſus ſit rationabilis, id eſt juſta ratione nitatur, ut rationi non repugnet, quæ lege ſtatui potuit, ſive quæ juſta cenſeretur, & obligaret, ſi lege ſtatuta eſſet: eadem enim eſt materia legis, juſtitiæ, & conſuetudinis, nam conſuetudo eſt tacita quædam lex, *l. 3. C quæ ſit longa conſuetudo*: irrationabilis enim conſuetudo corruptela eſt, *c. mala 8. diſt.* quæ nec immemorabili tempore præſcribi poteſt. Quæ tamen dicatur rationabilis, ab Interpretibus diſputatur. Aliqui affirmant, eam eſſe irrationabilem, quæ juri divino, aut naturali adverſatur. Ita poſt Navar. Suar. *ubi ſup. c. 6* ſed judicis arbitrio relinquendam eſſe, docent Gaillus *obſerv. c. 31.* Hunnius *de coſuet. c. 4.* Caniſius & Sahagun *in c. fin. hoc tit.* Barboſa *in ſelectis ad textum in dicto c. fin. n. 3.* Illud indubitatum eſt, conſuetudinem aliquid introducentem contra immunitatem Eccleſiaſticam, vel ex qua gravamen Eccleſiæ inferatur, irrationabilem eſſe. Gaillus *obſerv. c. 32.* Barboſa *in c. fin. n. 12. hoc tit.*

13 Traditur ratio decidendi. Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio; nam cum de eſſentia conſuetudinis deſideretur, ut ſit rationabilis, & ea, quæ gravamen Eccleſiæ infert, irrationabilis ſit; inde in noſtro textu a Pontifice remittitur, & nulla declaratur, quæ gravamen Eccleſiæ Meſſanenſi inferebat: nam cum Epiſcopus tantum ſit adminiſtrator rerum Eccleſiæ, *c. expedit 12. qu. 1.* non vero habeat plenam earum diſpoſitionem, ſi præjudicium Eccleſiæ ſequatur; unde ex xeniis, & aliis muneribus, quæ Rom. Pontifici mittebantur ab Epiſcopo, & Eccleſia Meſſanenſi, Eccleſia lædebatur; inde juſte ait Gregorius illa munera ſe remittere, & dictam conſuetudinem, injungendo ne deinceps talia ſibi mitterentur, cum avaritia ab omnibus Eccleſiæ Prælatis debeat eſſe aliena: unde ſæpe prohibitum legimus, ne ab Epiſcopis novis exactionibus, aut præſtationibus Eccleſiæ graventur, *c. quia cognovit 20. q. 3. c. prohibemus*, cum aliis, *de cenſibus*.

14 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat ratio dubitandi: nam licet conſuetudinis auctoritas levis non ſit, illa tamen procedit, cum veritas, & ratio illi ſuffragantur, alias non conſuetudo, ſed corruptela erit, cum rationem non vincat, *d. leg. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo*: unde cum in noſtro textu ratione careret conſuetudo, cum gravamen Eccleſiæ inferret, ideo non obſervatur, ut in aliis quampluribus caſibus ob defectum rationis nullam auctoritatem habet, ut conſuetudo, ut Eccleſiaſticus coram judice ſæculari conveniatur, *c. clericis 8. de judiciis*: de quo videndus eſt Suar. *adverſus Regem Angliæ l. 4. c. 32. per totum*. Nec argumentum obſtat, ubi dicebamus conſuetudinem non ſolvendi integras decimas poſſe præſcribi, & admitti; nam illud procedit, quia remanet ſemper congrua ſuſtentatio Parocho, & tunc rationabilis eſt conſuetudo; alias ſi Parochus integris decimis egeret, parochiani nulla conſuetudine, quantumvis immemoriali, excuſari poſſent; cum enim virtute conſuetudinis rationabilis parochiani detinent decimas, erogantur in eum finem, in quem deſtinatæ ſunt; & ita ex tali conſuetudine nullum gravamen Eccleſiæ infertur, ut probat Lemaiſtre *de decimis c. 2. & 3.* Nec obſtat argumentum deductum *ex dict. c. relatum, de teſtam.* nam verum eſt, & apud nos obſervatur, clericos teſtamentum facere poſſe de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis, quia quamvis hæc conſuetudo Eccleſiæ gravamen inferat, quæ alias ſucceſſura erat, tamen quia per Summum Pontificem reprobata non eſt, dum non improbatur, obſervari debet, quia ex tacita Pontificis diſpenſatione derogatum videtur dicto capiti *cum in officiis*, & ſimilibus. Nec tandem obſtat argumentum deductum *ex dicto, c. cum omnes 6. de conſtit.* nam reſpondendum eſt, conſuetudine introduci poſſe, ut Canonici in abſentia percipiant fructus ſuarum præbendarum, cum rationabilis eſt conſuetudo, veluti cum abſunt ob negotia Eccleſiæ, vel ob ſimilem cauſſam; non tamen conſuetudine introduci poteſt, ut Canonici in abſentia percipiant diſtributiones quotidianas, *c. unico, de cler. non reſid. l. 6.* Ratio diſcriminis in eo conſiſtit, nam licet tam fructus beneficiorum, quam diſtributiones deſignentur in ſtipendium officii clericalis, fructus tamen deferuntur ex eo, quod ratione beneficii jus conceditur ad eos percipiendos, ex eo quod officio clericali ſe deputarunt, juxta regulam textus *in c. cum ſecundum, de præb. c. ult. de reſcriptis in 6.* docet Navarrus *de horis canonicis c. 7. n. 3.* ac proinde non ſequitur, fructus ipſos inſpecta primæva natura ſua, & eorum deputatione, ad hæc, vel illa onera ſuſtinenda fuiſſe inſtitutos: at vero diſtributiones inſpecta natura ſua inſtitutæ ſunt, ut actualiter divinis officiis intereſſentibus quotidie diſtribuantur; quo fit, ut conſuetudo in diſtributionibus tamquam contra naturam, & ſubſtantiam actus reprobetur, juxta textum *in dicto c. unico*, ſecus vero quoad fructus, *ex dicto c. cum omnes 6.* de cujus exactiori expoſitione videndus eſt noviſſime Franc. Valens *in repet. ad ipſum textum*.

Ex ſupra traditis lucem accipit textus *in c. ſcientes, de cenſibus*, in illis verbis: *Aſſeruit autem prædictus Abbas, presbyterum* 15 Exponitur c. ſcientes de cenſib.
prædictæ Maſſæ novas monaſterio ipſi velle ponere conſuetudines, quæ ex tempore conditionis monaſterii per triennale tempus hactenus non fuerunt; ſiquidem ſi quid munificentiæ gratia a fidelibus viris oblatum fuerit, portionem ſibi vult percipere, quod Magnitudo veſtra ſtudeat diligenter agnoſcere, etſi hoc ab initio non fuit: etenim labentibus temporibus aliquid imponi noviter non concedas, quia maxime exiguæ ſubſtantiæ, & monaſterium pauper eſſe didicimus, & Abbatem ipſum hoſpitalem eſſe omnino didicimus. In quibus verbis proponitur, quod cum Parochus S. Mariæ in quodam monaſterio vellet novas introducere conſuetudines cum gravamine monaſterii, videlicet ut de oblationibus factis in ipſo monaſterio certam portionem ſibi præſtarent monachi, reſpondet Gregorius Magnus, & reſcribit Stephano Chartulario, ut faciat antiquas conſuetudines obſervare, novas autem introducere non permittat: ergo conſuetudines præſcriptæ, etſi Eccleſiis gravamen inferant, obſervari debent. Innocentius Cironius *in paratitlis ad tit. de cenſibus*, aſſerit ibi conſuetudines accipi pro quantitate Cathedratici, vel Synodatici, quæ ſolvebatur Epiſcopis: & cum quantitas non eſſet expreſſa, conſuetudinem aplari, ut *in c. de 15. ſimon. in 1. compil. novella 122. Juſtin. c. 3.* Sed hæc ſolutio ſuſtineri non poteſt, ſiquidem in eo textu agitur non de Epiſcopis, ſed de Parochis, quibus nulla quantitas Cathedratici, ſeu Synodatici nomine debetur: quare ea omiſſa, verius dicendum credo, in ejus textu ſpecie Parochum introducere voluiſſe conſuetudinem Eccleſiæ valde oneroſam, ut videlicet ex omnibus oblationibus certa portio ipſi præſtaretur; quæ quia gravamen inferebat monaſterio, ex ſupra traditis, rejicitur & repellitur: ſi autem fuiſſet introducta ex juſta cauſſa, ut rationabilis defenderetur, ut in ejus textus commentario dicemus.

C A P U T II.

Innocentius III. *Archiepiſcopo, & Capitulo* b *Lundenſi.*

EX litteris quas tu nobis, frater Archiepiſcope deſtinaſti, intelleximus manifeſte, quod regnum *c* Daciæ, quantum ad ea quæ jus fori contingunt, conſuetudinibus ſuis, & inſtitutionibus Regum ſuorum omnino regatur: unde nullum *d* uſum teſtamentorum illius provinciæ haberi contingit, qui alibi in ultimis decedentium voluntatibus ſecundum legalem obſervantiam cuſtoditur. Si vero aliquis poſſeſſiones aliquas clauſtris, vel aliis religioſis locis in bona valetudine, vel voluntate ultima *e* conſtitutus vult pro ſuorum remedio peccatorum *f* conferre; hanc Eccleſiæ conferendi formam eſſe proponis, quod in hujuſmodi donationibus modicum terræ conſuevit aſſumere, aut in extremitate pallii, quod manu Epiſcopi, vel cujuslibet alterius Prælati Eccleſiæ *g* ſuſtinetur, aut ſuper ipſum Altare aliquo involutum panniculo cum debita humilitate *h* ponendum, ſub teſtimonio videntium, & audientium, forma donationis hujuſmodi *i* ſubſequente, quæ *j* Scotatio vulgariter appellatur. Verum quia hujuſmodi donatio malitioſe a quibuſdam cavillatoribus (ſicut aſſeris) *k* impeditur, a nobis humiliter poſtulaſti, ne loca religioſa, & Eccleſiæ, quibus multæ poſſeſſiones ſub ſcotatione hujuſmodi ſunt *l* collatæ, ab aliquibus poſſint, vel debeant temere perturbari, paterna debemus ſollicitudine providere. Nolentes igitur, ut tales conſtitutiones, quas diuturnitas temporis (ut aſſeris) obſervavit, & uſus conſuetudinis hactenus approbatæ retinuit, temeritate qualibet infirmentur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus donationes eorum, quæ ſub obtentu conſuetudinis clauſtris, Eccleſiis, vel quibuslibet locis religioſis pie, ac provide conferuntur, vel etiam collatæ, faciatis irrevocabiliter obſervari; cum hujuſmodi ſignum, quod ſcotatio dicitur, non tam factæ donationis, quam traditæ poſſeſſionis ſit evidens argumentum: ſi quos contradictores inveneritis, aut rebelles, auctoritate freti Apoſtolica, per cenſuram Eccleſiaſticam, monitione præmiſſa, ſublato appellationis obſtaculo *m* compeſcentes. Datum Laterani XVI. Kalendas Decembris.

N O T Æ.

1 a INnocentius.) Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* hac vero ſexta legitur, *Innocentius III. Archiepiſcopo, & Capitulo Lugdunenſi.* Gloſſa autem marginalis ita emendat, *Honorius III. Archidiacono, & Capitulo Lundenſi.* Sed perperam tam in una, quam in alia collectione: legendum enim eſt, *Archiepiſcopo, & Capitulo Lundenſi*, ut habetur in ipſo regeſto epiſtolarum Innocentii III. edito Coloniæ, ubi *fol. 209.* legitur præſens textus, prout in præſenti tranſcribitur, & ita etiam legendum eſt *in c. cum poſt, de elect. c. ad noſtram, de probat.* ubi eidem Prælato reſcribit Innocentius.

2 b *Lundenſi.*) Non eſt legendum *Lugdunenſi*, ut in ſexta collectione legitur; ſed *Lundenſi*, ſive *Londenſi*: nam cum conſuetudo, de qua in præſenti textu agitur, inoleviſſet in Regno Daniæ, ut ex integra ipſius textus ſerie conſtat, quomodo Archiepiſcopo Lugdunenſi, qui eſt in Gallia, committi poterat, ut obſervare faceret prædictam conſuetudinem? Legendum ergo eſt, *Lundenſi Archiepiſcopo*, cui etiam reſcribit Innocentius *in c. cum Marthæ, de celebr. Miſſ.* & *l. 3. ep. 14.* & *l. 4. ep. 16.* & *ep. 181.* Lundenſis civitas, ſive Lodonia, præcipua eſt Regni Daniæ, caput Eccleſiaſticæ juriſdictionis, ſicut politicæ, & Regiæ eſt Haſnia, de qua plura Krantzius *l. 1. rerum Daniæ, c. 1.* Olim tantum Cathedra Epiſcopali decorabatur, ut refert Boſquetus *in notis ad Innoc. III. dict. ep. 14.* poſtea pactum fecit Epiſcopus Amburgenſis cum Rege Danorum, ut Lundenſis Eccleſia Metropolitanæ titulo decoraretur, ſi Amburgenſis Eccleſia Patriarchalis ipſius Regni crearetur. Quod cum aſſecutus fuiſſet, ex tunc Lundenſis Eccleſia, quæ ſemper Amburgenſi ut ſuffraganea ſuberat, facta eſt Archiepiſcopalis ab Urbano II. anno 1092. ut refert Leopold. *in compend. hiſtor. Daniæ, in Henrico*, qui ſcriptum illius Regni tenuit circa anno 1095. ibi: *Hujus temporibus factus eſt Axeras quidam clariſſimus, primus Archiepiſcopus Lundenſis; prius enim parebant omnes Danici Epiſcopatus Archiepiſcopatui Amburgenſi.* Latius proſequitur Franc. Florens *ad hunc titul.* Poſtea Eccleſia hæc Lundenſis ab Innoc. III. Primatus totius Sveciæ honore decorata fuit, teſtantur Kratzius, & Saxonius Grammaticus *in hiſtoria Daniæ*. Archiepiſcopus, cui miſſa fuit hæc deciſio, ni fallor, fuit Andreas Sunonis pronepos ex fratre Abſalonis ejus prædeceſſoris, quem Legatum Sedis Apoſtolicæ conſtituit Innocentius noſter, ut conſtat ex epiſtola 14. *l. 3.* cumque poſtea increpavit, quia ad Concilium generale venire diſtulit, *ep. 181. l. 3.* referunt Boſquetus *in d. epiſt. 14.* Spondanus *in continuatione, anno 1201. n. 4.*

c *Daciæ.*) Legendum eſt Daniæ; qui error fere in omnibus 3
libris reperitur, ut *in c. ad noſtram, de probat.* confunduntur enim plerumque a recentioribus Scriptoribus gentes iſtæ, ut nota-

notavit Abrahamus Hortelius *in theſauro geograph. in voce Dani*; ſive quod proceſſu temporis permixtæ fuerint, ſive ob nuncupationis affinitatem; cum certum ſit antiquas earum ſedes longe ſepoſitas eſſe; ſiquidem Dacia non longe diſtat a Dalmatia, prope Danubium, ut de ea agentes referunt Vvolfangus Lazius *de Repub. Rom. l.12. ſect.2. c.1.* Pancirola in notitia Imperii Orientalis, *c.138.* D. Rochus Pirrho *t.1. Siciliæ ſacræ, notitia 1. fol. 84.* & Dacorum memoriam vetuſtiorem eſſe tradit Spondanus poſt Baronium *anno 1221. n.1.* Regnum igitur Daniæ diverſas leges pro diverſitate temporum a ſuis Regibus accepit, quas refert Saxo Grammaticus in hiſtoria Daniæ, & in jure noſtro canonico mentio ipſarum extat *in c. ad noſtram 12. de probat.* ubi refertur in Regno Daniæ negativam probari. Dani etiam utebantur conſuetudine in rebus profanis, in Eccleſiaſticis vero ſacris canonibus, *c. cum Eccleſia, de elect. c. ſuper eo, de cognat. ſpirit.*

4 d *Uſum teſtamentorum.*) In his verbis non ſolum invenitur diverſam eſſe ſolemnitatem teſtamentorum in regno Daniæ, ac in aliis provinciis, quod ſæpe contingit, *c. cum eſſes, de teſtam.* verum nullum eſſe teſtamentorum uſum in ea provincia. Licet enim ex communi ſententia teſtamenta ſint quoad originem juris gentium; quoad formam vero, & ſolemnitatem juris civilis ſunt, ut docent Virgilius *in §. 2. Inſt. de teſtam.* Ægidius *in præfatione ad l.1. C. de ſacroſ. Eccl.* Læl. Mancinus *l. 1. de triplici juris collat. c. 47.* Guibertus Coſtanus *qq. juris c.6.* Gibalinus *de negot. t. 2. l. 5. c. 6.* Bronchorſt. *cent. 3. enantioph. aſſert. 20.* Theoph. *in princ. Inſt. de jure natur.* Cov. *3. var. c. 6. n. 6.* Oſualdus ad Donel. *l. 6. c. 5. litt. A.* Cujac. Duaren. & alii relati a Gilkenio in *l. 1. C. de teſtam. n. 7. & 32.* Pinello *l. 2. ſelectarum, c. 10. per totum.* Verius tamen credo, teſtamentum inventionem eſſe juris civilis alicujus populi, qui cum primus teſtamentum facere cœpiſſet, poſtea ejus uſus communi conſenſu approbatus fuit, ut inde fieret juris gentium approbatione, ut docet Menchaca *de ſucceſ. creat. §. 1. n. 1.* & probat Faber *in juriſprud. tit. 2. princ. 5. illat. 1.* & tunc jus civile confirmavit, non permiſit teſtamenti factionem: de qua confirmatione accipiendi ſunt textus *in l. verbis 120. ff. de v. ſ. l. 1. ff. de teſtam. manumiſſ.* Ulpianus *in frag. tit. 12. §. teſtam. 13.* nec hoc novum eſt, nam plerumque juris civilis conſtitutiones, & conſuetudines tranſeunt in jus gentium, ut ex multis illuſtrat Solorz. *t. 1. de jure Ind. l. 3. c. 5. ex n. 12.* exemplum extat in acceptilatione, de qua Conſultus *in l. an inutilis 8. §. fin. ff. de acceptil.* ait: *Et hoc jure utimur, ut juris gentium ſit acceptilatio, & ideo puto, & græce poſſe acceptum fieri*; non enim ambigi poteſt, inventum fuiſſe Romanorum, cum ad contractus juris civilis (qualis eſt ſtipulatio, *§. de conſtituta, Inſt. de action.*) referatur, cum requirat ſolemnia, & concepta verba, *l. 1. C. de acceptil. d. l. an inutilis, §. acceptum, l. & uno 18. ff. eod. tit. §. 3. Inſt. quib. modis tol. oblig.* in qua omnes gentes convenire non poterant tacito conſenſu, ut initium acceptilationi darent; ſed poſtquam a Romanis introducta fuit, recepta a pleriſque gentibus, quarum præcipue commercio gaudebant, tamquam res ſumme facilis ad diſſolvendas obligationes: & ſic nova approbatione accedente, ad gentes extendi cœpit, quæ in urbe Romana nata fuit, ut fere exponit noſter Valentia *l. 2. illuſtrium, tr. 3. de verb. oblig. c. 1. ex n. 36.* quidquid improprie juris gentium eſſe dixerit Faber *in juriſpr. tit. 2. princ. 5. illat. 4.* & licet Grotius *l. 2. de jure belli, c. 4. §. 4.* tantum juris gentium eſſe cenſuerit: quatenus tollit obligationem ex conſenſu creditoris, non quatenus conſtat ſolemnibus verbis; & Galbanus *de uſufruct. c. 16. ad fin.* exiſtimarit eſſe juris gentium, eo quod tollat obligationes natas ex juramento liberti, quæ erat ſpecies verborum obligationis; Gajus *l. 2. Inſt. tit. 1.* aliter tamen exponit textum illum D. Hier. Oroz *l. 2. de apicibus juris; c. 2.* & ut propius accedamus, certum eſt codicillorum uſum inventum eſſe a jure civili, & quidem Romanorum, ſi fides eſt Juſtiniano ex profeſſo initium, progreſſumque codicillorum narranti *in princ. Inſt. de codicil.* cum vero eorum uſus percrebuerit apud omnes fere gentes, conſequens eſt, ut facti ſint juris gentium, quia non eſt major ratio, ut ad jus gentium reducatur hodiernum inſtitutum, quam ſocietas, mandatum, & alia negotia, quæ juris gentium ſic effecta fuiſſe tradit Hermogenianus *in l. ex hoc jure 5. ff. de juſt. & jur.* licet Vultejus, Albericus Gentilis, & Connanus relati ab Oſualdo *l. 1. Donelli, c. 6. litt. F.* tenuerint non deſinere eſſe juris civilis, quæ ab aliqua civitate inventa fuerint, quamvis apud alias gentes incipiant cuſtodiri: quod verum crederem, ſi ab una, vel altera gente recipiantur. Ceterum ſi conſenſu, & conſpiratione communi omnium fere gentium, Rerumpublicarumque bene inſtitutarum approbetur, juris gentium recte dicitur: quare etſi ita ſit juris gentium teſtamenti factio, mirum non eſt, ut una, vel alia gens, ut Dani, de quibus in præſenti; & Germani, de quibus Conc. Tacitus *de moribus German.* teſtamenti uſum non recepiſſent, aut retinuiſſent.

5 e *Conſtitutus.*) Oblationes enim fiebant olim a fidelibus, tam in vita, quam in morte, *c. clerici 11.* ibi: *Aut donatas, aut teſtamento relictas*; *c. qui obligationes 13. qu. 2.* Concilium Matiſconenſe *can. 4.* Aurelianenſe *5. can. 16. c. 1. de ſucceſ. ab inteſt. in 3. collect.*

6 f *Conferre.*) Oblationes a fidelibus Eccleſiæ fiunt ob Divinam læſam Majeſtatem; nam cum ejus clementiam continuo ſcelere laceſſamus, modum aliquem invenire oportuit, quo placaretur, & ejus miſericordia impetraretur. Urbanus Pontifex II. *ep. unic. c. 2. Oblationes ſunt vota fidelium, & pretia peccatorum.* Concil. Aquiſgran. *can. 116. Fideles namque fidei ardore, & Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, & cæleſtis patriæ deſiderium ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam.* Conc. Turon. 2. *can. 26. Quia nonnulli immemores ſui per quaslibet ſcripturas pro captu animi de facultatibus ſuis Eccleſiis aliquid contuliſſe probatur.* Omnes quippe donationes, fundationes, & privilegia Eccleſiis conceſſa his, atque ſuperioribus ſæculis, hanc remedii animæ cauſſam continent, ita ut fallatur Falectus, qui *antiquit. l. 5. c. 10.* non ante Dagoberti Regis tempora Eccleſiis bona in animæ remedium, aut remiſſionem peccatorum data exiſtimat; ſed tantum ad opus, in uſum luminum, & ut ſarta tecta ſervarentur. Gregorius Turonenſis *l. 7. c. 20.* ibi: *Sint hæc Eccleſiæ data, dum ut de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum.* Et *l. 9. c 41.* in Regundis epiſtola, ibi: *Quæ alii pro animarum ſuarum remedio, vel ſororis, ibidem de rebus propriis contulerunt.* Qua ratione poſtea eo uſque progreſſum eſt, ut plerique de induſtria peccarent, quod crederet ſe donationibus in Eccleſiam factis poſſe crimina quæcumque abolere: quæ corruptela damnata fuit in Synodo Cabilonenſi ſub Carolo Magno, ibi: *Non enim idcirco quis peccare debet, ut eleemoſynam faciat, ſed ideo eleemoſynam facere debet, quia peccavit.*

g *Suſtinetur.*) Ponebatur enim modica terra in extremitate 7
pallii ipſius Epiſcopi, vel Parochi, & ſic per ipſum acquirebatur poſſeſſio Eccleſiæ: aliquando etiam per pallium Altaris tradebatur Epiſcopo dominium dotis ipſius Eccleſiæ, cum fundator pallium, quod ab altari ſumebat, Epiſcopo tradebat; qua cæremonia ſignificabatur fundatorem nullum jus in ipſa Eccleſia habere: cujus ritus extat nobile monumentum in notitia donationum Eccleſiæ Saliſburg. *c. 9.* apud Henricum Caniſium *t. 6. lection.* ibi: *Quo facto Guntherus tradidit per pallium Altaris Vigilio Epiſcopo ipſam Eccleſiam cum omnibus, quæ antea perdonaverat.*

h *Ponendum.*) Frequens ritus fuit apud veteres apponendi 8
in Altare res donatas, aut ſaltem earum iſtrumenta, ut ipſarum poſſeſſionem traderent. Anaſtaſ. Bibliot. agens de donatione Caroli Regis facta Eccleſiæ Romanæ, ait: *Super Altare S. Petri.* Et poſtmodum: *intus in ſancta ejus confeſſione poſuit.* Et *l. 6. c. 285.* ait: *Ipſam ſcripturam coram Altari, aut ſupra tenet, dicens ejuſdem loci Sacerdotibus atque cuſtodibus: Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur ſcriptæ.* In legibus Bajubar. *tit. 1.* legitur, *& tunc ipſam epiſtolam ponat ſuper Altare, & ſic tradat pecuniam.* Illuſtrant morem hunc Bigonius *ad formulas Marculſi, fol. 430.* Hugo Menardus *in notis ad concordiam regul. fol. 966.* Novarin. *l. 12. ſchedias, c. 19.* & jure communi attento, inſtrumento vel ſcriptura tradita, rei donatæ, aut venditæ cenſetur tranſlata poſſeſſio, *l. 1. C. de donat. l. 8. tit. 30. partit. 3. l. 2. tit. 12. l. 3. fori, l. 17. Tauri,* quæ eſt lex 1. *tit. 6. l. 5. recopil. l. 44. Tauri,* quæ eſt lex 4. *tit. 7. l. 5. recopil.* Probant Valenzuela *conſil. 23. n. 10.* Azevedo *in d. l. 4.* Molina *de primog. l. 4. c. 2. n. 11.* Maſchard. *de probat. vol. 3. concl. 1184.* Oroz *l. 4. d. apicib. juris c. 12. n. 9.* dum eo animo inſtrumentum traditur, ut transferatur poſſeſſio, reſque ſit præſens, & poſſeſſore vacua.

i *Subſequente.*) Non ſolum donationes in ſcripturam redi- 9
gebantur, vel ſuper Altare ponebantur, verum & teſtibus firmabantur, ut conſtat ex donationibus ſupra relatis. Hujuſmodi autem teſtes debebant eſſe homines liberi & ingenui, ut conſtat *ex tit. 1. legum Bajubar.* cujus verba in præſenti referam, quia ex eis non modicum illuſtratur præſens Daniæ mos: *Si quis liber perſona voluerit, & dederit res ſuas ad Eccleſiam pro redemptione animæ ſuæ, licentiam habeat de portione ſua, poſtquam cum filiis partivit; nullus eum prohibeat, non Rex, non Dux, nec alia perſona habeat poteſtatem prohibendi, & quidquid donaverit, villas, mancipia, vel aliquam pecuniam, omnia quæcumque donaverit pro redemptione animæ ſuæ, hoc per epiſtolam confirmet propria manu ſua ipſe, & teſtes adhibeat ſex, vel amplius ſi voluerit, imponat manus in epiſtola, & nomine eorum notentur ibi, quos ipſe rogaverit, & tunc ipſam epiſtolam ponat ſuper Altare, & ſic tradat ipſam pecuniam coram Sacerdote, qui ibi ſervit.*

j *Scotatio.*) Unde tamen hæc forma donationis ſcotatio di- 10
catur, non facile conſtat apud Interpretes. Gibalinus *de negotiatione t. 2. l. 4. c. 2. art. 1.* ex Olibano exponit ſcotationem, id eſt quotæ dationem, quaſi per hunc modum certa res aut quota donetur. Pratejus, Calvinus, & alii Lexicographi tantum aſſerunt ſcotationem eſſe genus donationis in Dania uſitatum. Innocentius Cironius *l. 1. obſ. c. 8.* poſtquam varias hujus vocis etymologias adduxit, tandem aſſerit ſcotationem dictam eſſe a verbo *Scoto*, quod ſignificat cenſum, ſeu tributum, aut quidquid ex diverſis rebus in unum acervum aggregatur, quod apud nos dicitur *ſcotar*, cum vel ad convivium, vel quid ſimile diverſæ res conferuntur, quem uſum erudite, ut ſolet, illuſtrat Ramirez de Prado *in Pentencon. c. 12.* Conſentit huic expoſitioni Alteſera *in præſenti.* Etiam dici poteſt, quod ſicut apud nos vulgari idiomate dicitur *ſcotar*, ex aliqua veſte partem revellere. Cov. *in theſauro, verbo Scotar*; ita quia ex fundo gleba revelebatur, & ut me exponam, prædium ſcotabatur, inde portio illa ſcotatio dicebatur.

k *Impeditur.*) Ex eo, quia res in vita donantis realiter 11
traditæ non fuerant, ſed tantum promiſſæ; & ex eo, quia oblatæ fuerunt in ultima voluntate, ſine ulla teſtamenti ſolemnitate: quæ rationes facile refelluntur ex ſupra traditis.

l *Collata.*) Extenditur ad præterita hæc deciſio, quia in ea 12
agitur de declaratione juris antiqui, quo caſu conſtitutio etiam præterita reſpicit, ut dixi *in c. 2. de conſtitutionibus.*

m *Compeſcentes.*) Conſonant Concilium Romanum ſub Ca- 13
lixto II. *c. 14.* ibi: *Sub diſtrictione anathematis.* Aurelianenſe 3. *can. 22.* ibi: *A communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur quiſquis ille ex quolibet ordine, qui quod pro devotione ſua Eccleſiis dedit, revocare præſumpſerit.* Aurelian. 4. *can. 19. A communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur.* Et quintum *c. 16. Ut necator pauperum communione privetur.* Matiſcon. *can. 4. Ab Eccleſiæ liminibus arceantur.* Turonenſe 2. *can. 16. Ab omnibus Eccleſiis ſegregatus, a ſancta communione habeatur immunis.*

COMMENTARIUM.

14 Concluſio traditur, & probatur.

Cum in Regno Daniæ conſuetudo legitimo tempore præſcripta eſſet, ut ſi aliquis in vita, vel morte vellet pro redemptione animæ ſuæ aliqua prædia Eccleſiæ offerre, ſeu donare, acciperet modicum ex prædio donato, & in extremitate pallii, aut ſuper Altare illud poneret, ſeu in manu Prælati Eccleſiæ, ut hac ſymbolica traditione poſſeſſionem transferret; quidam poſt donationes prædicto ritu factas malitioſe aſſerebant, donationes non valuiſſe, & poſſe revocari, cum adhibitæ non fuiſſent ſolemnitates, nec rerum ipſarum adhuc poſſeſſio fuiſſet tranſlata. Conſuluit Archiepiſcopus Lundon. ſuper id Innoc. III. vigilantiſſimum rerum Dianæ conſervatorem, qui reſcripſit, ut hujuſmodi donationes faceret inviolabiliter cuſtodiri prætextu conſuetudinis; quia dictum ſignum, quod *ſcotatio* dicitur apud Danos, non eſt tam argumentum donationis factæ, quam ſignum traditæ poſſeſſionis. Ex qua ſpecie ſequens deducitur aſſertio: *Conſuetudine poteſt introduci, ut ſigno, ſeu ſymbolo aliquo acquiratur poſſeſſio rei abſentis.* Quæ concluſio ſingularis eſt in utroque jure, nec eſt alia ſimilis deciſio ab ſpecie. Per argumentum tamen probari poteſt *ex c. contingit, de dolo & contumacia, c. ex ore, de his quæ fiunt a majori parte, c. per tuas de donat. c. propoſuit, de conceſ. præb. l. clavibus 74. ff. de contrahenda empt. l. qua ratione, §. item ſi merces, ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. ſi juſſerim, l. 3. §. 1. l. quod meo 38. §. ſi venditorem, l. quorumdam 51. ff. de acquir. poſſeſſ. §. item ſi quis merces, Inſtit. de rer. diviſ.* Illuſtrant præter ordinarios *in præſenti*, & relatos a Barboſa *in collectan. ad hunc textum*, Oſualdus *ad Donel. l. 5. comment. c. 9. litt. D.* Cujacius *lib. 19. obſerv. c. 18.* Ant. Gomez *in l. 45. Tauri*, Parladorius *in ſeſquicenturia, diff. 26. §. 1.* Balſamon *in Nomocanone Photii, tit. 1. c. 3.* Cironius *in paratitl. ad tit. de præſumpt. & de donat. & l. 1. obſerv. c. 8.* Lemaiſtre *de bonis Eccleſiæ, lib. 2. c. 7.* Hieron. Bignonius *in notis ad Marculfum, l. 1. c. 2. & c. 13.* Boſquetus *in notis ad Innocent. III. l. 1. epiſt. 47.* Vveſembec. *diſp. 10. nu. 36.* Anſeguiſus *in gloſſ. ad capitularia, v. Libertatem*, Matienzo, & Azevedo *in d. l. 8. tit. 7. lib. 5. recopil.*

15 Impugnatur tradita aſſertio.

Sed præſens Innocentii deciſio difficilis valde redditur ſequentibus juris conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo: nam conſuetudo contraria, ſeu quæ opponitur naturæ ipſius actus & eſſentiæ, non admittitur, *c. un. de cler. non reſid. l. 6.* Sed conſuetudo Regni Daniæ, quæ in præſenti ab Innocentio approbatur, repugnat naturæ & ſubſtantiæ poſſeſſionis, ſeu ejus acquiſitioni: ergo valide introduci non poteſt. Probatur minor: primo ex eo, nam poſſeſſio a pedibus, quaſi pedum poſitio dicta eſt, *l. 1. l. 3. leg. quod ſi meo, §. ſi venditorem, ff. de acq. poſſ.* Cujacius *l. 54. Pauli ad edictum, in d. l. 1.* Petrus Gregor. *l. 1. ſyntagm. c. 13.* Antonius Gomez *l. 54. Tauri, n. 18.* vel a ſedibus, quaſi ſedium poſitio, *d. l. 1.* ſecundum lecturam Florentinam, ut utramque notationem illuſtrans docet Valentia *t. 1. tr. 2. c. 1.* Sed in poſſeſſione, quæ ex conſuetudine Regni Daniæ introducitur, nec datur pedum, aut ſedium poſitio: igitur non datur natura, ſeu ſubſtantia poſſeſſionis. Secundo, nam certum eſt, de eſſentia poſſeſſionis deſiderari ad acquirendam eam, non ſolum animum, verum etiam corpus, ſcilicet affectionem poſſidendi, & factum apprehenſionis externum, *l. 3. §. 1. l. quemadmodum 8. ff. de acqu. poſſeſſ.* ſed in cauſu dictæ conſuetudinis, nec datur affectio vel animus, nec datur factum apprehendendi totam ipſam rem: ergo non poteſt acquiri poſſeſſio. Non animus, quia cum Eccleſia, ſive communitas Eccleſiaſtica, regularis, aut ſæcularis, ſit nomen juris, & corpus fictum, ex clericis, & monachis, & aliis fidelibus conſtans, argumento textus *in l. 1. §. quibus, l. ſicut, & §. fin. ff. quod cujuſque univerſit. l. an uſusfructus 56 ff. de uſufructu*, conſentire non poteſt, nec affectionem habere. Ulpian. *in frag. tit. qui heredes inſtitui poſſint*; ideo nec etiam factum apprehenſionis datur. Nec ſatisfacies, ſi dicas, adeſſe ſignum ſeu ſymbolum ipſum, ſcotationem appellatum, per quod fingitur factum apprehenſionis ipſius fundi; nam cum poſſeſſio ſit facti, *l. poſſeſſorem 29. ff. de acquir. poſſeſſ. l. denique, ff. ex quibus cauſis major. l. in bello 12. §. facti, ff. de capt. l. bonæ fidei, §. in contrarium, ff. de acquir. rer. dom.* poſt Valentiam & alios docet Præceptor meus, & communis, doctiſſimus D. Joſephus de Retes *in repetita tractatione de acquir. poſſeſſ. c. 2. conſectar. 1.* & factum fingi non poſſit, *d. l. in bello 12. §. facti*: ergo fingi non poteſt adeſſe corpus, aut factum exterius ordinatum ad acquiſitionem poſſeſſionis. Et tertio præſens deciſio difficilis videtur ex eo, nam Eccleſia non eget aliquo facto ad acquirendam poſſeſſionem rei ſibi donatæ, ut conſtat *ex l. raptores, 54. C. de Epiſc. & cleric.* ubi poſſeſſio bonorum ſine apprehenſione vera, vel ficta Eccleſiæ acquiritur: ergo etſi in præſenti caſu non adfuiſſet conſuetudo in regno Daniæ capiendi poſſeſſionem per ſignum, ſeu ſymbolum ſcotationis poſſeſſio rerum donatarum Eccleſiæ ſtatim illi acquirebatur.

16 De traditionibus ſymbolicis poſſeſſionis.

His tamen difficultatibus non obſtantibus, vera eſt & utriuſque juris principiis conſona præſens Innocentii deciſio: quod ut facilius cognoſcatur, ſciendum eſt, quod licet animus & corpus deſiderentur ad acquirendam poſſeſſionem, *d. l. 3. §. 1. & d. l. quemadmodum*; tamen ut circuitus vitarentur, & eſſet facilior acquiſitio poſſeſſionis, quia jus cupit amputare ſuperflua facta, *leg. qua ratione 9. §. interdum, ff. de acquir. rer. domin.* propter commercii, & negotiorum facilitatem introductum fuit, ut per aliqua ſigna, ſeu ſymbola poſſeſſio rerum acquireretur; unde qui vult apprehendere poſſeſſionem prædii, non debet totum prædium peragrando occupare, ſed tantum glebam aut ceſpitem pertingere, *l. 3. §. 1. ff. de acquir. poſſeſ.* vel oculos immittere in ipſum prædium, *l. 1. §. ſi juſſerim, l. quod meo, §. ſi venditorem, ff. eod. tit.* ut pro facto ſit immiſſio oculorum in rem præſentem, & ad quam poſſit ſine impedimento accedere, *l. ſi pecuniam, 79. ff. de ſolut.* ubi Javolenus ait, ſic poſſeſſionem adipiſci *longa manus.* Longa manus eſt, quæ a longinquo rem conſequitur; tales tribuuntur Principibus propter eorum ſummam poteſtatem. Ovidius adductus, & expoſitus a Solorzano *emblem. 54.* Nam ut ait Xenocrates relatus a Donello *l. 11. c. 5. Nihil intereſt utrum oculos, an pedes in aliud prædium immittamus.* Quod procedit, ſi res eſt præſens, poteſtque apprehendi, alias jus non fingit impoſſibilia: quo modo accipiendi ſunt textus *in l. ſi ego 9. §. ceterum, ff. de fundo dot. l. donationes 31. l. ſi pater 34. c. quod 41. in fin. l. fin. §. fin. ff. de donat. l. falſus 43. §. ſi is, qui ff. de furt. l. ſcire 29. ff. de verb. oblig.* junctis Valentia *to. 2. illuſtr. tr. 2. c. 14.* D. Hier. Oroz *de apicib. juris l. 4. c. 12. n. 7.* Sic etiam clavibus traditis transfertur poſſeſſio domus, vel horrei, ſi coram domino traditio fiat, *l. clavibus 74. ff. de contrah. empt. d. l. 1. §. ſi juſſerim, l. qua ratione, §. item, ff. de acquir. rer. domin. leg. 2. Cod. de peric. & commodo rei vindic. l. 1. C. de crim. expil. hered. §. item ſi merces, Inſt. de rerum diviſ.* Anton. Faber *de error. decade 75. errore 1. 6. & 7.* & una re ex univerſitate apprehenſa, veluti ex majoratu, aut Capellania ceterarum rerum cenſetur apprehenſa poſſeſſio, Parladorius *in ſeſquicenturia, diſt. 26. §. 1.* Molina *de primogen. lib. 4. c. 2. n. 23.* Covar. *l. 3. variar. c. 16. n. 13.* Gomez *in l. 45. Tauri, n. 35.* Oroz *l. 4. de apicibus, juris, c. 12. n. 3.* Etiam cuſtodem apponendo in ipſa re, ejus poſſeſſio acquiritur, *l. quando 51. ff. de acquir. poſſeſ.* Gomez *ubi proxime, nu. 74.* Merillius *lib. 3. var.* ex Cujacio *c. 36.* vel ſi ſigillum impreſſum ſit trabibus, aut rebus emptis, aliterve comparatis per emptorem, *l. quod ſi neque 14. §. 1. de peric. & commodo rei vindic.* ſi animo acquirendi poſſeſſionem ſignum rei imponatur; qui animus tum ex rei qualitate, tum ex propoſito contrahentium cognoſcendus eſt, & judicandum, an animo acquirendi poſſeſſionem, an ſecuritatis, aut cuſtodiæ cauſa res ſignetur, cum frequentius ad ſecuritatem tantum ſignum apponatur, *l. injuria 22. ff. de injuriis.* Illuſtrant Fornerius *leg. 4. rerum quotid. c. 8.* Theophilus Raynaud. *in tract. de ſtygmatiſmo ſacro & profano*; tale enim ſignaculum non tribuit poſſeſſionem, *l. 1. §. ſi dolum, ff. peric. & com.* docent Claſſici, & Faber *in ration. ipſius textus*, quod in ſacris litteris ignotum non fuit; ſic enim legitur *Cantic. c. 8. verſ. 26. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Et *Iſaiæ c. 44. v. 5.* Illuſtrant Pinto Ramirez *in Cantica c. 86. nu. 518.* Paulus Serlogus *in eodem loco*, Theophilus *ubi ſupra*, Gibalinus *de negotiat. t. 1. l. 1. c. 5. art. 2.* Idem obſervarunt Cæſares in hydrophilacis, qui deputati erant cuſtodiæ aquarum Conſtantinopoli, *l. penult. C. de aquaduct. l. 11.* ut hujuſmodi annotatione manifeſti eſſent omnibus, nec a procuratoribus domorum, nec quolibet alio ad alios uſus avellerentur; & in fabricenſibus idem obſervatum lego *in l. 3. C. de fabric. l. 12.* ne a militia fugerent. Vegetius *de re militari l. 3. cap. 5.* Ubi Steubechius, Lipſius *de militia Romana l. 1. dialogo 9.* Turbebus *l. 24. adverſ. c. 12.* Itidem in ſervis fugitivis, ut a fuga retraherentur, *l. 1. §. finali, ff. de ſervis fugitivis.* Late probant Laurentius Pignorius *de ſervis pag. 17.* Ramirez de Prado *ad Luitprandum pag. 364.* Henricus Salmut. *ad memor. Pancirolæ, l. 2. tit. 2. pag. 85.* Raphael Villoſa *de ſervis fugit. c. 14.* Illud tamen neceſſario exigitur in acquiſitione poſſeſſionis per hoc ſymbolum clavium, ſeu ſigilli appoſiti, ut titulus præcedat, cujus virtute res poſſit accipientis fieri, & quo poſſit dignoſci in accipiente animus poſſidendi ſibique habendi, alioquin per annuli obſignatorii, vel clavium traditionem potius commiſſa cuſtodia, quam res tranſlata, aut dominii, poſſeſſioniſve cauſa tradita cenſetur, argumento ex lege *cum p. 77. §. pater, ff. de leg. 2.* Docet pluribus relatis Oroz *d. l. 4. c. 12. n. 8. & 9.*

Amplius, ſi ſit vacua poſſeſſio rei, de cujus traditione agi- 17 De aliis ſymbolicis traditionibus.
tur, & præſens qui accipere vult, etſi non apprehendat eam, transfertur poſſeſſio longa manu, ut recte ajunt Conſulti, quaſi prolongata manus injecta ſit in ipſam rem, *l. ſi ego §. non puto, ff. de jure dot. l. ſi pecuniam 79. ff. de ſolut.* in quo caſu loquuntur textus *in l. donationes 31. l. ſi pater 34. §. ult. ff. de notat. l. ſi procuratore 79. ff. de verb. oblig. l. falſus 53. §. ſi is quis 2. de furtis*, junctis Cujacio *l. 12. reſp. Papin. in d. l. 31. §. ſpecies*, Donello *l. 5. comment. c. 10.* Valentia *d. t. 1. tract. 2. q. 14.* Scriptura ſimiliter tradita, rei emptæ, vel donatæ cenſetur tranſlata poſſeſſio, *l. 1. C. de donat. l. penult. §. 1. ff. de leg. 3. l. 2. C. quæ res pignori*, Cujacius *1. diffinit. Papin. dict. l. clavibus*, & *ad titul. C. ſi quis alteri, vel ſibi.* Covarr. *l. 3. var. c. 15.* imo ſine ulla traditione poſſeſſio transfertur, cum datur fictio brevis manus, de qua poſtea in explicatione legis *quidam 77. ff. de verb. oblig.* etſi rei, cujus cauſa inſtrumentum confectum eſt, ipſum tradatur, *l. 8. tit. 30. partit. 3. l. 2. tit. 12. l. 3 fori, l. 17. Tauri*, quæ eſt lex 4. *tit. 7. l. 5. recopil.* Docent Gregorius Lopez, & Antonius Gomez *in dictis legibus.* Tandem poſſeſſio transfertur per conſtitutum, ſeu clauſulam conſtituti, quando qui vendit, aut donat rem, etſi non tradat emptori, vel donatario, conſtituit tamen ſe ejus nomine poſſidere, de quo acquiſitionis modo plura docte cumularunt Barboſa *in cap. ſane, de renuntiat. n. vult,* Præceptor D. Jo-

D. Joſephus de Retes ubi ſupra, *n. 6.* Jure etiam noſtro canonico poſſeſſio per ſymbola, ſeu per ſigna plerumque traditur, & alii actus celebrantur; nam per annulum datur inveſtitura præbendæ, ſeu beneficii, *c. cum olim de re judicata, c. ex ore 3. de his quæ fiunt a majori part.* per panem, ut conſtat ex formula relata a Cironio *ad tit. de præbend.* non tamen illa inveſtitura tribuit poſſeſſionem actualem & corporalem, ſed tantum collationem, & inſtitutionem canonicam cum facultate apprehendendi poſſeſſionem, *c. ad hæc, verſ. in quadam, c. ut noſtrum 19. de officio Archidiaconi*, Covarr. *l. 3. var. c. 15. nu. 10.* Faber *in ſuo C. l. 7. tit. 7. deffinit. 9.* quod ſymbolum tradendi annulum etiam olim uſitatum fuit in inſtitutione heredum, itaut tradendo annulum teſtator alicui ipſum heredem inſtituere cenſeretur, ut de Alexandro refert Trogus Pompejus *l. 12. hiſt.* de aliis Valerius *l. 7. c. 9.* & *l. 3. c. 5.* Ex his & aliis plura obſervavit Forner. *l. 2. ſelect. c. 3.*

18 De traditionibus ſymbolicis mediæ ætatis.

Sed ut ad ſpeciem noſtri textus contrahamus animadverſionem, ſciendum eſt, tempore mediæ ætatis varia ſymbola etiam fuiſſe recepta apud varias gentes pro tradenda poſſeſſione rerum donatarum Eccleſiis, vel privatis perſonis; & inter ſymbola hæc inferioris ſæculi legimus adeptam poſſeſſionem rei donatæ per traditionem iſtrumenti donationis, per glebæ injectionem, feſtucam, guantonem, ramum arboris, per oſtium & anaticulam, per gramen, calceos, & ſimilia. De traditione per ſcripturam, aut inſtrumentum donationis obvia mentio extat in formulis Marculfi, & in Codice donationum Augberti Mirei Bruxellenſis Profeſſoris. Aliorum etiam ſymbolorum mentio fit in veteri formula incerti Auctoris, *c. 43.* his verbis: *Nomine illi per oſtium de ipſa caſa, per terram vel herbam, ſicut lex eſt, ad partem Sancti illius viſus eſt tradidiſſe, & per ſuam feſtucam ipſum miſſum, vel ipſam feminam de ipſis rebus ſe exutos ex omnibus eſſe dixiſſe.* Et apud Marculfum *l. 1. c. 13. & 21.* ibi: *Quod in præſenti per feſtucam eas eidem viſus eſt commendaſſe.* Et *l. 2. c. 14.* *Et pars parti tradidiſſe, & per feſtucam omnia partitum eſſe dixiſſe.* Frequens fuit hoc traditionis ſymbolum apud Gallos, ut probant & illuſtrabant Bignonius *in notis ad Marculf. l. 1. c. 3.* Oſualdus *l. 5. Donelli, c. 9. litt. D.*, Poteſt vero ex antiquitate ſymbolum tale intelligi & exponi per quamdam vim feſtucariam, ut accepta feſtuca, qui poſſeſſurus erat, tradentem dejiceret, & a poſſeſſione priſtina deturbaret; ad quod poſſunt alludere illa verba formulæ 29. *Et per ſuam feſtucam contra ipſum, illum inde exitum feciſſe.* Etiam per guantonem poſſeſſio tradebatur, ut referunt Anonym. *l. de mirac. S. Benedicti, c. 4.* ibi: *Acceptis hujuſmodi præceptis cum guantis ipſius auro ornatis, per quos donationes memoratarum rerum ſacris imponerent Altaribus.* Robert. Comes, & Abbas S. Martini anno 7. Regni Hodonis, ibi: *Redimus Dociacum admoniti, ad ejus ſepulchrum veniens per guantum noſtrum.* Traditionis etiam per ramum arboris factæ mentio extat in donatione facta a Comitiſſa Matilde Romanæ Eccleſiæ tempore Gregorii VII. cum enim donaſſet ſilvam, per ramum arboris decerptum poſſeſſionem tradidit, inde refert ex quodam Codice Vaticano Baronius *to. 11. anno* 1102. & per traditionem viridis ſcirpi Guidonem Comitem Pictavorum res donatione comprehenſas tradidiſſe, conſtat ex ipſo inſtrumento donationis Latine reddito a Bignonio *in d. c. 13. l. 1. formul. Marculfi*, & Zerda *in adverſ. c. 99. n. 18.* in hæc verba: *Tunc inclinavit ſe Comes, & accepit viridem ſcirpum; nam domus recenter erat juncata, ſicut ſolemus facere quando aliquem perſonæ potentis, vel Dominum ſuſcipimus, vel amicum. Tunc junco ipſo non tam donum faciens quam reſtaurationem dedit.* Per oſtium & anaticulam, ideſt per oſtii & cardinum ipſius contactum poſſeſſionem tradi conſtat ex dicta formula 43. Incerti Auctoris, & ex alia Marculfi relata a Lemaiſtre *l. 2. de bonis Eccl. c. 7.* Per gramen, aut ceſpitem poſſeſſio tradebatur, cum donator ex agro donato ceſpitem revellebat, & revulſum tradebat advocato Eccleſiæ, vel Prælato: cujus ſymboli celebre exemplum habemus *in chron. Vvindocienſi, l. 18.* Similiter in Codice donationum monaſterii Abſienſis conſtat matronam donationem confirmaſſe per traditionem flocci capillorum: & in eodem codice refertur quemdam nobilem confirmaſſe donationem traditione calcei: & in archiviis Eccleſiæ ſancti Hilarii Pictavienſis refertur quædam donatio per traditionem cinguli perfectam: & tradit Lemaiſtre *dicto c. 7.* & olim ſe, ſuaque tradens monaſterio, coronam in capite ferebat in ſignum ipſius oblationis, *c. 1. de ſucceſ. ab inteſt. in 3. collect.* ibi: *Cum Archipresbyter de Alerio ſe & ſua ad participationem orationum monaſterio de Brunſeria obtuliſſet, de manu cujuſdam fratris ejuſdem cænobii augmentationem coronæ in ſignum oblationis accepit.* Per fuſtem, & baculum profeſſionem etiam olim tradi probatur ex veteri teſtimonio relato a Briſſonio *leg. 6. de formulis, pag.* 502. Illuſtrat Lindembrogius *in gloſſario legum antiq. verbo Traditio.*

19 Traditur decidendi ratio.

Ex quibus provenit vera deciſiva ratio præſentis textus; nam cum omne, quod poteſt fieri lege, poſſit fieri conſuetudine, *c. conſuetudo, 1. d.* diximus ſupra *in c. 1.* & legibus admiſſa ſit acquiſitio per ſymbola, conſuetudine etiam introduci poteſt, præcipue in caſu noſtræ conſuetudinis, ubi ſymbolum illud accipiendi partem terræ fundi donati in extremitate pallii, & deferendi ad Eccleſiam, imponendique in Altare, valde conſonum eſt diſciplinæ Romanæ, & Eccleſiaſticæ, Romanæ, quia apud Romanos, cum vindicabatur fundus, qui tradi non poterat, coram Prætore, vel Judice glebam ipſius litigantes afferebant, & ibi in ea, tamquam in toto fundo præſenti, Prætor formulam vindicationis proferebat, Auctore Gallio *l. 2. noctium, c. 9.* quæ formula ex jure *manu conſertum*, vocabatur. Gellius *ibi*, Feſtus Pompejus *verbo vindiciæ*, ubi ait: *Vindiciæ olim dicebantur glebæ* (ſic enim legendum putat Revardus *ad leges duodecim Tabul. c. 6.* non vero *illa*, ut paſſim legitur, *quæ ex fundo ſumptæ in jus allatæ erunt.* Illuſtrant Brodeus *in ſupplemento hiſtoriæ Polleti, l. 5. c. 4.* Cujac. *l. 19. obſerv. c. 18.* Dionyſ. Gohofr. *in l. quiſquis 18. C. de donat. & ad leges duodecim Tabul. c. 22. §. 1.* Eccleſiaſticæ, quia priſcis Eccleſiæ ſæculis omnes fere actus coram Altari, & in ipſius cornu fiebant; unde libertas ibi dabatur, Burchardus *lib. 2. Decreti, c. 88.* ibi: *Ego Burchardus, Deo annuente, Vormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus, quemdam Eccleſiæ noſtræ famulum nomine Ebcardum, ſacris Ordinibus oblatum, ad Altaris cornu in nobilium Virorum præſentia per hunc auctoritatis titulum ſtatuo ita, ut ab hodierno die vere ingenuus ab omni ſervitutis vinculo ſecurus permaneat.* Capitulari 88. *lib. 1.* Caroli Magni, ibi: *Coram Sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu Altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem conſequatur.* Et paſſim in capitularibus Caroli Magni. Extat etiam celebre fragmentum inſtrumenti vetuſtiſſimi cujuſdam monaſterii apud Anſeguiſum, *in gloſſario capitularium, verbo Libertatem*, ibi; *Et fecerunt in Capitulo noſtro coercitionem calumniæ, & domum auctorizationis de his omnibus, quæ de more ſub altari poſuiſſent.* Juſte ergo Innocentius III. dictam Daniæ conſuetudinem, ſcotationem dictam, obſervari præcepit, cum rationi, & omni diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſona ſit: & licet traditio ſimbolica poſſeſſionis debeat fieri in præſentia ipſius rei, *l. 1. §. ſi juſſerim, ff. de acquirenda poſſeſſ. d. l. clavibus*; tamen favore Eccleſiæ introductum eſt, ut etiam in abſentia rei ejus poſſeſſio transferri poſſit.

20 Diſſolvitur dubitandi ratio.

Nec obſtant rationes dubitandi. Non prima deducta ex natura poſſeſſionis; nam non eſt præciſe neceſſaria pedum poſitio ad poſſeſſionem, ſed ſufficit qualiſcumque actus, vel ſymbolum quodlibet, ut probatum eſt: appellatur tamen poſſeſſio a pedibus, vel a ſedibus, quia hæc inſtrumenta frequentiora fuerunt ad acquirendam poſſeſſionem, ut advertit Covarr. *in reg. poſſeſſor, 2. par. in princ. n. 1.* unde cum nomen poſſeſſionis non ſumatur ex natura eſſentiali, ſed ex eo quod frequentius contingit, argumentum ab etymologia parum movet. Nec argumentum obſtat, ubi dicebamus, non dari animum, ſeu affectum in Eccleſia, monaſterio, vel alia communitate, nam licet ſtricto jure monaſterium, collegium, ſeu municipium, non poſſint acquirere poſſeſſionem ex defectu animi; tamen utilitatis cauſa, cum plura circa poſſeſſionem recepta ſint, *l. peregre 44. §. quæſitum, ff. de acq. poſſeſſ.* receptum eſt, ut poſſidere poſſint, poſſeſſioque illis per ſervos, vel liberas perſonas, acquiratur, *l. 2. ff. de acquir. poſſeſſ. leg. ſive 9. §. ult. cum l. ſequenti, ff. de publiciana.* Docet Valentia *d. tr. 2. c. 15.* unde ſic ſimiliter ſicut poſſeſſio acquiritur communitati ſæculari per liberam perſonam; ita Eccleſia per Advocatum, vel Prælatum ipſius acquiri poteſt. Nec aliud membrum argumenti refragatur, ubi dicebamus factum fingi non poſſe; nam jus in acquiſitione poſſeſſionis non fingit factum; ſed etiam factum illud per ſymbolum explicatum habetur pro facto ſufficienti ad acquirendam poſſeſſionem, ac ſi emptor, vel donatarius totum fundum peragrarent & occuparent; nam cum detur facultas in eis occupandi totam poſſeſſionem, quæ vacua eſt, & capax apprehenſionis, fingi poteſt occupatam eſſe. Unde evenit, ut jus ſupplere hoc non poſſit, ubi poſſidens rem occupare non poteſt, *l. Nerva 36. l. Pomponius 15. §. ſi id quod, ff. de acqu. poſſeſſ.* Giſanius *in d. l. 3. nu. 82.* Faber *decade 75. errore* 1. Nec obſtat ſecundum argumentum deductum *ex l. raptores 53. C. de Epiſc. & cleric.* nam ibi non agitur de acquirenda poſſeſſione, ſed de juſto titulo Eccleſiæ, vel monaſterio competente, ad obtinendam poſſeſſionem bonorum illius, qui virginem rapuit, ut poſt Giſanium *in d. l. 3.* docet Valentia *de acquirenda poſſeſſ. c. 2. n. 30.*

21 Exponitur l. ut inter, c. de Sacr. Eccl.

Sed ſuperioribus acriter obſtat textus *in l. ut inter divinum 23. verſ. itaque, C. de ſacroſ. Eccleſiis*; ubi Imperator Juſtinianus poſtquam conceſſit Eccleſiis, Xenodochiis, & aliis locis piis, ut in illis quæ ipſis venduntur, aut donantur; ſive ſint mobilia, ſive immobilia, non eſſet locus præſcriptioni, niſi centum annorum: ſtatim ait, ut ad ipſas res datas, vel donatas, abſque ulla apprehenſione adhuc non occupatas, competat rei vindicatio. Tunc ſic: Rei vindicatio ſupponit dominium, *l. in rem 23. ff. de rei vindicatione*: ſed dominium ſine poſſeſſione acquiri non poteſt, *l. 2. §. vacuam, l. emptorem, §. Neratius, ff. de action. empti, l. ſi pacto 8. C. eodem, l. traditio 20. §. ult. ff. de acq. rer. domin. l. cum res 12. C. de probat. l. quibuſdam 13. C. de diſtract. pignor.* Hottomanus *illuſtr. q. 11.* Bronchorſt. *l. 3. c. 81.* Valentia *ubi ſupra, c. 4.* Timeus, & Faber *diſput. 14. theſi* 12. ergo Eccleſiæ poſſeſſio ſine ulla apprehenſione, vera, vel ficta acquiritur, & per conſequens ſupervacua expenditur conſueto Regni Daniæ in noſtro textu ad confirmandam poſſeſſionem rerum donatarum. Cui difficultati, omiſſa controverſia, an dominium ſine poſſeſſione acquiratur, quam diſputant DD. ſupra citati, Donel. *l. 4. comment. cap. 19.* Vveſemb. *diſp. 10. nu. 34.* varie ſatisfaciunt Interpretes. Oſualdus *l. 20. comment. c. 4. littera B*, aſſerit vindicationem ibi eſſe extrajudicialem: Vueſemb. *d. n. 55.* affirmat verbum *vindicationem*, ibi accipi improprie pro exactione, ut *in leg. ex imperfecto 23. ff. de leg. 3.* juncta lege 178. *§. 2. de v. ſ.* Sed his omiſſis verius dicendum eſt, in eo textu nihil reſpectu dominii noviter a Juſtiniano conſtitui; tantum enim illam edidit conſtitutionem ad introducendam præſcriptionem centenariam, propter falſitates, cujuſdam Emiſſeni, ut ex Suida refert Caldiera *l. 3. de errorib. cap. 10.*

& cum obiter dicitur, Eccleſiæ dari vindicationem, id referendum eſt ad caſum hereditatis, vel legati, de quibus antea egerat, & ad res donatas, cum donator retinuerit uſumfructum rei, *leg. data 28. Cod. de donat. leg. 42. ff. de donat. cauſa mortis, l. 2. C. Theodoſ. de donat.* cum enim in his dominium transferatur ipſo jure, *l. a Titio, ff. de furtis*, inde conceditur vindicatio rei, vel aliarum rerum exactio. Ita Azo, & Giphanius *in eo textu*, Hunnius *ad Treutler. volum. 2. diſp. 27. q. 26.*

22 Intelligitur lex quædam, ff. de rei vindic.

Secundo expendi poteſt contra ſupradicta textus *in l. quædam 77. ff. de rei vindicat.* ubi quædam mulier, quæ Titio prædium donare volebat, ipſi epiſtolam miſit, dum erat in ipſo fundo: quæſtionis eſt, an ſi mulier conduxerit ipſum prædium, cenſeatur poſſeſſio translata? Et reſpondet Conſultus poſſeſſionem traditam cenſeri per conſtitutum. Proſequitur, quid ſi tantum Titio exiſtenti in prædio mittatur donationis ſcriptura? Et reſpondet Conſultus poſſeſſionem acquiri ſine ulla apprehenſione. Tunc ſic expendo; En textum ubi rei donatæ acquiritur poſſeſſio abſque ulla apprehenſione; ergo & in noſtro textu acquiri poterat abſque ſigno ſcotationis. Cui difficultati ſatisfaciunt Faber *de error. pragm. decade 75. errore* 10. Cumanus *in l. 3. ff. de acq. poſſeſſ. n. 2.* dicendo ibi transferri poſſeſſionem per fictionem, quam Conſulti appellant *Brevis manus*, de qua *in leg. ſive autem 9. §. 1. ff. de publicana, l. certi 9. §. ult. l. ſingularia, ff. de reb. cred. l. ſi rem 61. ff. de evict. l. 3. §. ult. ff. de donat. inter. l. qua ratione, ratione, §. interdum, de acquir. rerum dom.* Plura Valentia *de acq. poſſeſſ. c. 14.* Matteucius *in d. l. ſingularia*: fingitur enim *in d. l.* quamdam poſſeſſionem fundi ad mulierem perveniſſe, & ſtatim Titio tradidiſſe, & cum in noſtra ſpecie Eccleſia non poſſideret res donatas, ex alia cauſa neceſſaria fuit traditio per ſignum ſcotationis.

23 Exponitur can. 19. Conc. Aurel. 4.

Tertio ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *in can. 19. Concilii Aurelian. IV.* relatus ab Antonio Auguſtino *in epitome, l. 15. tit. 36. c. 9.* ibi: *Quicumque pro ſua devotione oblationis ſtudio aliquid in campellis, vel vineolis, etiam abſque ſcriptura probatur Eccleſiis contuliſſe, ſi poſtmodum ipſe, vel heredes ejus quacumque occaſione auferre hoc a jure Eccleſiæ, vel alienare voluerint, quoadusque a tali intentione diſcedant, aut ablata reſtituant, communione eccleſiaſtica ſuſpendantur.* Ex quo textu conſtat, ſine ulla ſcriptura vel ſigno poſſeſſionem acquiri poſſe. Cui difficultati reſpondendum, in eo textu ſupponendam eſſe traditionem rei, cum dicant Patres, donatorem auferre intendere, & prædia contuliſſe; quæ omnia ſupponunt ipſas res donatas traditas fuiſſe; & tunc licet non adſit ſcriptura donationis, parum refert, ut ſupra diximus: nam ſi tradita ſit, aut realiter, aut ſymbolice, ſufficit hæc traditio, ut poſſeſſio acquiratur, & ut auferre volens puniatur gravibus pœnis, de quibus in Concilio Pariſienſi, *c. 1.* Aurelianenſi V. *c. 16.*

CAPUT III.

Idem *Epiſcopo* a *Patavienſi*.

AD noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod in tua diœceſi, *b* etiam in cauſis *c* Eccleſiaſticis conſuetudo minus rationabilis habeatur, quod cum aliqua cauſſa tractatur, ibidem *d* allegationibus, & *e* querelis utriuſque partis auditis, a præſentibus litteratis, & illiteratis, ſapientibus, & *f* inſipientibus, quid juris ſit, quæritur: & quod illi dictaverint, vel aliquis eorum præſentium, conſilio requiſito pro ſententia teneatur. Nos igitur attendentes, quod conſuetudo, quæ canonicis obviat *g* inſtitutis, nullius debeat eſſe momenti; cum ſententia a non ſuo judice lata *h* nullam obtineat firmitatem; ut in cauſis Eccleſiaſticis ſubjectorum tuorum, poſtquam tibi de meritis earum conſtiterit, ſententiam proferre valeas, ſicut ordo poſtulat rationis, auctoritate præſentium, præmiſſa conſuetudine non obſtante, concedimus *i* facultatem. Nulli ergo, &c. Datum Laterani XIII. Kal. Martii.

NOTÆ.

1 Patavium ubi.

a *PAtavienſi.*) Tam in tertia, quam in ſexta collectione legitur *Pictavienſi*; ſed ex ipſo regeſtro epiſtolarum Innocentii edito Coloniæ, ubi *folio* 275. reperitur textus hic, tam litteram, quam inſcriptionem reſtituo. Patavium, vulgo *Padua*, vetuſtiſſima eſt Italiæ urbs, a Padi vicinitate, quaſi Padavium dicta, ut ſentit Serarius. Civitas eſt ampla & amœna: habet jus, & dignitatem municipalem ſupra inſignia ſeptem oppida: eam ſæpius inexpugnabilem reddiderunt Veneti, ut de ea plura adducens tradit Franciſcus Schotus *in Itiner. Italiæ, fol. 56.* Habet Eccleſiam Cathedralem S. Sophiæ dicatam a temporibus S. Proſdocimi diſcipuli S. Petri: cujus Eccleſiæ Epiſcopo, Gerardo de Ponte dicto, reſcribit in præſenti Innocentius; nam eam rexit ex an. 1159. ad annum 1214.

2 b *Etiam.*) Ideſt non ſolum in cauſis ſæcularibus & profanis, verum etiam Eccleſiaſticis: conjunctio enim *etiam*, non ſolum importat aſſertionem, verum etiam exprimit caſum magis difficilem, & implicat minus dubitabilem, *l. etiam, C. ſi tutor, l. conventicula, C. de Epiſc. l. etiam, ff. de v. ſ.* ubi Fornerius & Gentilis, Barboſa *de dictionibus; dict.* 112.

3 c *Eccleſiaſticis.*) Meris videlicet, vel de rebus, vel de perſonis: de rebus, partim divinis, ut ſunt res ſacræ; partim temporalibus, ut juſpatronatus, decimæ, & ſimiles: de perſonis quæ Eccleſiaſticæ ſunt, juxta diſtinctionem cauſarum, quam dabimus *in c. 2. de judiciis.*

4 d *Allegationibus.*) Ideſt petitionibus & reſponſionibus; allegationes enim, ſeu allegata, ſunt ea, quæ a litigantibus in facto ſunt propoſita & deducta, ex quibus deinde jus ſumitur: hinc allegare cauſas, *l. 1. §. 1. ad leg. Jul. de adult.* allegare abſentiam, *l. 3. §. litem, ff. de negot. geſt.* allegare excuſationem, *l. 31. ff. de excuſat. tutor.* plura Briſſonius *verbo Allegare.*

5 e *Querelis.*) Sive criminalibus, ſive civilibus; ſicut enim querela poteſt proponi ad publicam delicti vindictam, *l. 1. ff. de officio Præf. urb.* ita & civiliter poteſt proponi ad privatam utilitatem, *l. 3. ff. de his qui ſunt ſui, l. qui poſt 58. ad Trebell. l. 5. de manumiſſ.*

6 f *Inſipientibus.*) Hinc hujus conſuetudinis irrationabilitas, cum illi qui judicandi muneri præponuntur, debeant maxime litteris pollere, ut plurimis ſacræ Scripturæ locis probat D. Thomas *de regim. Princ. l. 1. c. 2.* & Philoſophorum, Oratorumque innumeris ſententiis illuſtrat Carleval *de judiciis to. 1. lib. 1. diſp. 1. q. 1. n. 18.* annotavi ſupra *in c. ſciſcitatus, de reſcriptis*; nam cum debeant ſententiam proferre ſecundum leges, quomodo imperiti earum judicare valebunt? Unde illiterati judices dari non poſſunt, *novella 82. Juſtin.* cui adſtipulantur textus *in c. 1. c. ſtatuimus, 61. diſt.* Inſcitia enim in judice pro crimine habetur, *l. fin. ff. de var. & extrar.* Petrus Herodius *l. 2. Pandect. tit. 9. c. 29.* Beſold. Canonher. & alii apud Altamiran. *de filiis official. l. 4. c. 4. n. 3.* An autem ante Juſtinianum potuiſſent illiterati judices aſſignari, ita ut conſilio Aſſeſſorum judicarent, diſputant Corraſius *l. 5. miſcel. c. 19.* Vulterius *diſp. c. 8.* & *de judiciis l. 1. c. 4. nu. 128.* Cujac. *l. 23. obſ. c. ult.* Tuldenus *ad tit. C. de officio judicis, c. 4.* Hunnius *ad Treutlerum, volum. 1. diſp. 12. q. 33.* Bronchorſt. *centur. 1. aſſert. 64.* Savarus *ad Sidonium l. 2.* Mornacius *in l. 4. ff. familiæ erciſcundæ*, Vveſembec. *diſp. 52. n. 21.* in qua quæſtione notandi ſunt textus *in l. 1. ff. de officio ejus, l. 7. C. de profeſſor. l. 2. C. de poſtulando, l. 2. ff. quod quiſque juris, l. unica, C. ut quæ deſunt Advocatis, l. ult. Cod. de juriſdict.* cum Hottomano *illuſtrium q. 28.*

g *Inſtitutis.*) Ut dixi *in c. 1. hoc titulo.* 7

h *Lata.*) Conſonant textus *in c. in primis 2. q. 1. c. at ſi Clerici, de judiciis, c. nullus, de parochis, l. 2. & 3. Cod. ſi a non compet.* plures hujus regulæ exceptiones, & ampliationes referunt Gloſſa & antiquiores *in præſenti.* 8

i *Facultatem.*) Ideſt, a jure conceſſam eſſe oſtendimus; non enim Pontifex concedit de novo, ſed declarat jus commune; utitur tamen his verbis forſitan ad cautelam, ut ita ſecurior maneret Epiſcopus cum populo: ita Abbas, Zabarella *in noſtro textu.* 9

COMMENTARIUM.

10 Concluſio traditur, & probatur.

COncluſio in præſenti diſputanda ita ſe habet: *Non valet conſuetudo, ut in cauſſis Eccleſiaſticis placitum populi pro ſententia teneatur.* Probari poteſt *ex c. cum inter, hoc tit. c. clerici 8. de judiciis, c. quod clerici, de foro compet. cap. noverit, de ſententia excomm.* & aliis juribus, quæ a Doctoribus expenduntur *in c. decernimus, de judiciis.* Illuſtrant ultra relatos a Barboſa *in collect. ad hunc textum*, & *in d. c. clerici 8.* Borellus *in ſumma deciſ. p 1. tit. 4. n. 143.* Marta *de juriſdict. 4. p. centur. 1. caſu 63.* Azorius *tom. 1. inſtit. l. 5. c. 12. q. 1.* Vega & Balboa *in d. c. clerici 8.* Suarez *in defenſ. fidei, l. 4. c. 32. per totum*, Rochus de Curte *in c. finali, hoc tit. nu. 52.* Azevedo *in Curia Piſana, l. 2. c. 1. n. 3.*

11 Impugnatur præſens aſſertio.

Sed hæc aſſertio impugnari poteſt ſequenti juris conſideratione. Conſuetudo poteſt tribuere juriſdictionem eam non habenti, *c. auditis 15. de præſcript. c. final, de officio Archidiac. c. irrefragabili 13. de officio ord. c. cum contingat, de foro comp. c. Romana 3. §. debet, de appellat. l. 6. l. 1. ff. de albo ſcribendo, l. 1. & finali, C. de emancip. liber.* Probant Narbona *in l. 20. gloſſa 22. tit. 1. l. 4. recopil.* & *in l. 59. gloſſa 1. tit. 4. l. 2.* Valenzuola *conſilio 26. nu. 17.* Decianus *t. 1. tr. crimin. l. 4. c. 27.* Petrus Marcha *l. 3. concord. Sacerd. & Imper. c. 9.* unde feminæ, quæ jure communi a judicandi munere arcentur, *l. 2. ff. de reg. jur.* conſuetudine interveniente judicare valent, *c. dilecti, de arbitriis*, Cironius *in parat. ad hunc titul.* & populum conſuetudine acquirere poſſe juriſdictionem, probant Imola, Panormitanus, & Socinus *in cap. cum contingat, de foro compet.* quos ſequitur Morla *in emporio, tit. 6. qu. 4. num. 39.* Igitur populus Patavienſis virtute conſuetudinis legitime præſcriptæ poterat ſententiam proferre in omnibus cauſſis, tam ſæcularibus quam Eccleſiaſticis. Augetur primo hæc difficultas, nam quælibet res de facili revertitur ad ſuam naturam, ut diximus *in c. cum omnes, de conſtit.* ſed ante legem Regiam omnis juriſdictio penes populum erat,

erat, *§. ſed quod Principi, Inſtit. de jure natur.* & ejus erat cognoſcere de capite civis, imo & publica judicia frequenter per populum exercebantur uſque ad annum 604. Urbis conditæ, teſte Dionyſio Halicar. & ex eo, & Cicerone obſervat P. Greg. *l. 4. ſyntag. c. 5. n. 12.* Igitur populus per conſuetudinem poteſt hanc juriſdictionem recuperare. Augetur ſecundo hæc difficultas; nam ſi veteres Eccleſiæ mores repetamus, nihil uſitatius, aut frequentius inveniemus, quam judicium populi in cauſis omnino Eccleſiaſticis adhiberi, veluti in Conciliis, in electionibus, & ordinationibus miniſtrorum Eccleſiæ. Populus enim in eis ſuffragium adhibebat, approbando, vel reprobando, itaut qui dignus a populo acclamabatur, ordinaretur: qui vero indignus, rejiceretur, *c. nullus 14. diſt. Nullus ordinetur clericus, niſi probatus vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio, c. Epiſcopus, 24. diſt.* D. Cyprianus *ep. 68. ad Clerum: Ordinationes non niſi ſub æquali adſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Plura Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. fol. 41. & 81.* Ergo conſuetudo præſcripta in populo Pataviensi, cum ſecundum juris rationem, nec contraria Eccleſiæ diſciplinæ eſſet, obſervari debebat.

12 Judex debet eſſe competens. Qua difficultate ita fulcita non obſtante defendenda eſt præſens Innocentii deciſio, pro cujus vera ratione capeſſenda ſciendum eſt, quod etſi principales perſonæ ſint judicii, judex, actor, & reus, *c. forus, de v. ſ. l. inter litigantes 62. ff. de judiciis*; judex tamen recte a Baldo *in rubrica C. ſi a non compet. n. 2.* judicii dux, & imperator appellatur; & Vantius *de nullitatib. ex defectu juriſdict. n. 2.* Gaillus *l. 1. obſerv. c. 42. n. 9.* judicem baſim & fundamentum judicii appellant; nam ipſe eſt, qui proceſſum judiciarium dirigit; & inter litigantes ſe interponit, atque quod ab ipſis faciendum eſt, præſcribit, jubet, mandat, denique auctoritate publica fungitur. Oſualdus *l. 6. Donelli, c. 6. littera B*, non autem quilibet judex hæc facere poteſt, ſed tantum qui eſt competens, qui in præſenti textu appellatur ſuus; nam judices reſpectu cauſarum ſunt competentes, vel incompetentes; & ſi incompetens ſententiam proferat, ſententia nullius momenti eſt, *l. 2. & 3. C. ſi a non comp. l. 6. §. ſi quis, ff. de injuſto rupto*, adeo ut nulla neceſſaria ſit appellatio, non ex ea actio judicati oriatur. Cujacius *ad tit. C. ſi a non compet.* unde judex datus in cauſa proprietatis, ſi judicaverit de poſſeſſione, ſententia nulla eſt, *l. 1. C. ſi a non compet. l. poſt 9. C. de ſent.* quia alia eſt cauſa poſſeſſionis, alia proprietatis, *l. naturaliter, §. 1. l. pen. ff. de acquir. poſſeſſ.* inde etiamſi judex militaris cognoverit de aliqua cauſa inter paganos, judicium nullum eſt, *l. 2. C. ſi a non compet.* Similiter de procuratore Cæſaris ratiocinandum eſt, *l. 1. C. de pedan. jud.* & generaliter illud verum eſt, ſententiam prolatam a non competenti judice, nullam eſſe. Secundo præmittendum eſt, laicos non ſolum tamquam incompetentes, verum & tamquam incapaces de cauſſis Eccleſiaſticis cognoſcere non poſſe, & ſententiam ab eis prolatam ipſo jure nullam eſſe, *c. decernimus*, ubi probabimus, *de judiciis, authent. ſtatuimus, Cod. de Epiſc. & cler.* Similiter de perſonis Eccleſiaſticis cognoſcere nequeunt; *c. at ſi clerici c. clerici 4. c. clerici 8. cum non 10. de judiciis, c. placuit, c. clericum, & fere per totam 11. q. 1.* adeo ut nec ratione incidentiæ, prorogationis, aut conſuetudinis laicus judex capax fieri poſſit, *c. ſi diligenti, cap. ſignificaſti, de foro compet.* in quo magnum verſatur diſcrimen inter judicem Eccleſiaſticum & ſæcularem, nam Eccleſiaſticus ratione incidentiæ, prorogationis, aut conſuetudinis poteſt reddi competens; laicus vero, cum ſit incapax, nec ratione incidentiæ, prorogationis, ſeu conſuetudinis poteſt fieri capax, ut docent Balboa, Vega & omnes primarii noſtri *d. c. 2. de judiciis.*

13 Traditur decidendi ratio. Ex quibus profluit ratio noſtræ deciſionis; nam cum laici populi ſint incapaces juriſdictionis in cauſſis Eccleſiaſticis, & inter Eccleſiaſticas perſonas, nec prætextu conſuetudinis poſſunt fieri capaces, nec talis conſuetudo introduci; nam conſuetudo populi plus operari non poteſt, quam conſtitutio ipſius populi: ſed conſtitutio populi non poteſt derogare immunitati Eccleſiaſticæ, *c. Eccleſia, c. quæ in Eccleſiarum, de conſtit. c. Clerici, de judiciis, c. cum terra, de elect. c. cauſſam, de præſcript.* ergo nec conſuetudo poteſt introduci, per quam immunitati Eccleſiaſticæ derogetur, aut gravamen Eccleſiæ inferatur. Accedit & illa ratio, quæ injuſtitiam hujus conſuetudinis etiam reſpectu cauſſarum ſæcularium ſatis adſtruit; nam populus docendus eſt, non vero ſequendus, *c. docendus, 62. d.* nec vanæ ejus voces ſunt audiendæ, *l. ad beſtias 31. ff. de pœnis, l. decurionum 12. C. eod. c. unuſquiſque 22. q. 4.* idque diſerte probatur *ex l. ſi privatus 17. ff. qui & a quibus*, ubi ſi privatus coactus a populo ſervum manumiſerit, libertas non competit, adeo ut conſtitutione D. Marci cautum fuerit, ut ſervus actor, ideſt qui in ſcenis partes fabulæ agebat, non poſſet manumitti, quia plerumque talis manumiſſio cogente populo per acclamationem fiebat; quo modo exponenda etiam eſt lex 3. *C. qui manumitti non poſſunt*; obſervavit Cujacius *l. 2. obſerv. c. 22.* ſcitum enim eſt, ab Auguſtino in ſpectaculis populum extorſiſſe, ut comœdum ſervum manumitteret, referente Svetonio *in Tiberium c. 47.* quod cum populus intentaret, imperante Hadriano, qui pertinacior, tenaciorque erat, repulſus fuit, contemptaſque ejus voces fuiſſe tradit Diocaſius *in Hadrianum*. Eamdem Athenis viguiſſe legem, teſtatum reliquit Æſchines *contra Eſiphontem*. Quæ omnia ſuadent, recte in præſenti ab Innocentio decretum fuiſſe, populum Patavinum non eſſe conſulendum in cauſarum deciſione, nec ejus judicium pro ſententia ſequendum. Deinde, nam populus vix probat, quæ probanda ſunt, ut docent Ælianus *de varia hiſtor. c. 6.* Seneca *de vita beata, c. 12.* ibi. *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant; argumentum peſſimi turba eſt.* Clemens Alexandrinus *l. 5. ſtromatum.* ibi:

Nec ſpectes famam dum vis ſophos eſſe repente,
Terreat amentis nec te ſententia vulgi;
Judicium ſapiens, & juſtum non habet ullum
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Judicium enim ejus inconſtans, & varium eſt; unde Socrates ait, vulgum motui cedere ut ligna ſecuri; neque quicquam eſt incognitum judicium populi Judaici adverſus Chriſtum Dominum noſtrum; primo enim eum excepit ut Regem, paucis poſt diebus clamavit *Crucifige*, ut refertur *c. 21. Matt.* Charondas, qui leges Athenienſibus dedit, de populo dicebat: *Qui ſe populo committit, fortunam non rationem ſequitur.* Tacitus *l. 2. hiſtor.* ait: *Plebi non judicium, nec veritas eſt: populus pretio, acclamationibus, & levitate movetur.* D. Hier. *ep. 22.* ita vulgum deſcribit; *Vulgus habet os barbarum, procax, & in convitia ſemper armatum.* Et Joannes XXIII. relatus a Solorzano *emblem. 97.* populi judicium ita definit: *Quicquid laudat, vituperatione dignum eſt; quidquid cogitat, vanum: quidquid loquitur, falſum: quod improbat, bonum eſt, quodque approbat, malum; & quidquid denique extollit, infame.* Alia dabimus *in c. 2. de elect. c. ex litteris, de exceſſ. Prælat.* Recte ergo in præſenti Innocentius decidit injuſtam eſſe conſuetudinem, per quam deciſio cauſarum Eccleſiaſticarum judicio populi Patavini committebatur.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet conſuetudine acquiri poſſit juriſdictio eam non habenti, ut probant Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imper. l. 3. c. 9.* Thomas Delbene *de immun. Eccl. t. 1. dub. 15. ſect. 5. & 6.* id tamen procedit, & locum habet, quando qui eam non habebat, erat tantum incompetens, non vero ſi erat incapax, ut populus eſt, vel judex laicus, de quo agit P. Suarez *in defenſ. fidei l. 3. c. 34.* nam tunc nulla conſuetudine, quæ rationabilis eſſe nequit, tolli poteſt incapacitas: & jura pro dubitandi ratione adducta procedunt in illis judicibus; qui incompetentes erant, qui ratione conſuetudinis legitime præſcriptæ reddi poſſunt competentes; quare femina in regno Galliæ virtute conſuetudinis juriſdictionem exercere valet, & populus etiam conſuetudine acquirere poteſt, ut ſibi liceat de quibuſdam cauſis temporalibus judicium proferre. Nec obſtat primum augmentum ipſius dubitandi rationis, ex quo dicebamus, populum per conſuetudinem recuperare juriſdictionem, quam in Principem tranſtulerat per legem Regiam; & ſic non de novo acquirere, ſed amiſſam reſtaurare; nam illud procedit in juriſdictione ſæculari, & temporali; ſæcularis enim juriſdictio communi populi conſenſu fuit in Principem translata, *l. 1. ff. de conſtit. Princ. l. 1. cum ſequent. tit. 1. par. 2.* at vero juriſdictio Eccleſiaſtica nunquam fuit penes Rempublicam, ſed a jure divino originem ſumit: unde nunquam populus potuit eam transferre in Pontificem. Covar. *practic. c. 31.* Cum enim hujus juriſdictionis incapaces ſint laici, *c. ita Dominus, 19. d. c. ſi Imperator, 96. d. c. 2. cum ſequent. 11. q. 1.* nec conſuetudine poterit populus eam acquirere. Nec augmentum ultimum aliquid probat; nam cum populus aderat in Conciliis, id fiebat non ut judicium ferret, ſed potius ut leges Eccleſiaſticas ibi factas acciperet, & ſuſtineret: ſimiliter cum populus conſilium præſtabat in ordinationibus Miniſtrorum Eccleſiæ, non ex eo habere juriſdictionem arguebatur, nec Epiſcopi tenebantur populi ſuffragium in ordinandis presbyteris petere, ſed cum illis temporibus eſſet omnium fidelium unum cor, & quicumque nominis erant Chriſtiani, magis charitate copulati, quam poteſtatum diverſitate ſegregati viderentur; nihil mirum ſi Epiſcopi populum conſulerent, non tamen ut exinde aliquam ſibi juriſdictionem populus arrogaret, ut late dicemus *in c. 2. de elect.* (14 Diſſolvitur dubitandi ratio.)

15 Exponitur cap. querelam de elect. Superiori aſſertioni obſtat textus *in c. querelam 24. de elect.* in illis verbis: *Per electionem populi, ad quem de antiqua conſuetudine pertinet electio.* Ex quibus verbis depromitur, populum conſuetudine acquirere poſſe juriſdictionem in beneficiis & aliis præbendis Eccleſiaſticis conferendis, ſive in earum electione: igitur ſimiliter conſuetudine introduci valet, ut judicium populi in cauſis Eccleſiaſticis pro ſententia habeatur. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, in eo textu populum conſuetudine non acquiſiiſſe juriſdictionem aliquam, aut poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis, aut electionem, ſed tantum præſentationem propter juſpatronatus; quia cum jus hoc a laicis obtineri poſſit, *c. 1. & per tot. de jurepatr.* ſic conſuetudine acquiri valet, *c. cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſ. cap. ea noſcitur, de his quæ fiunt a Prælatis*, licet per præſcriptionem acquiri non valet, ut docent Fachineus *l. 8. controv. c. 24.* Lambertinus *de jurepatron. l. 1. parte 1. qu. 7. art. 19. num. 13.* Balboa *in c. ad aures, de præſcr. nu. 37.* unde cum conſuetudine in eo textu nulla juriſdictio acquiratur, ſed tantum jus præſentandi, ideo conſuetudo obſervatur.

16 Intelligitur caput Romana, §. debet, de appel. in 6. Secundo opponi poteſt textus *in c. Romana, §. debet, de appellat. l. 6.* ubi cum agatur de ſententiis prolatis ab Epiſcopo, quomodo ab eis, & ad quem appellandum ſit, aſſerit Innocentius IV. appellandum eſſe ad Archiepiſcopum, niſi contrarium conſuetudine introductum fuerit, videlicet, ut ad judicem laicum, aut populum appelletur. Ex qua deciſione expreſſe deducitur, conſuetudine introduci poſſe, ut populus, aut alia perſona ſæcularis de cauſſis Eccleſiaſticis per viam appellationis cognoſcat: ergo & in noſtro textu conſuetudine introduci poterat, ut judicium populi Pictavienſis pro ſententia haberetur. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt dicendo, quod quamvis ex illius textus ſpecie acquiri poſſet juriſdictio a laico per conſuetudinem; hoc tamen procedit ex eo, quod juriſdictio erat ſæcularis in ſui principio, & in Epiſcopum fuerat translata:

unde conſuetudine potuit tolli obex, ſive impedimentum, per quod non poterat alius quam Metropolitanus de cauſis appellationis cognoſcere. Tum quia quælibet res de facili revertitur ad ſuam naturam, *c. ab exordio, 35. d. l. ſi unus 35. §. pactus, ff. de pactis.* Tum etiam, quia cum ipſa juriſdictio fuiſſet ſæcularis, & ex accidenti in Epiſcopum translata fuiſſet, non eſt ratio, cur ſicut in ſui principio non excluderet talem conſuetudinem, idem non procedat, poſtquam eſt penes Epiſcopum, cum qualitas, ſive conditio rei non recipiat variationem ex perſonæ mutatione, *l. 2. §. ex his, ff. de verb. oblig.* præcipue cum origo cujuſque rei generaliter in omni diſpoſitione debeat attendi, *l. quidquid 34. ff. de donat. l. clam, 6. ff. de acquir. poſſeſſ. l. tutor 70. ff. de fidejuſſor.* Ita illum textum explicant & exponunt Angujanus *de legib. l. 2. c. 17.* plures relati ab Eſcobar *de Pontificia juriſd. c. 21. §. 9.* Vega *in c. clerici 8. de judic. n. 33.*

Explicatur cap. 3. de eo qui mit. Tertio adverſari videtur textus *in c. cum veniſſet 3. de eo qui mittitur in poſſeſſ.* in illis verbis; *Secundum jus, & honeſtam conſuetudinem terminandam.* Ex quibus verbis colligitur conſuetudinem populi circa cauſarum Eccleſiaſticarum deciſionem eſſe obſervandam, & attendendam: igitur illa introduci poteſt, ut judicium populi pro ſententia ſervetur, etiam in cauſis Eccleſiaſticis. Cui deciſioni aperto marte repugnat textus *in c. cum cauſa, de ſententia & re judic.* ubi expreſſe deciditur, conſuetudinem Veronenſis populi in cauſis Eccleſiaſticis terminandis attendendam non eſſe. Pro quorum jurium conciliatione cum communi Interpretum ſchola diſtinguendum eſt inter conſuetudinem juſtam, & conſuetudinem iniquam: nam conſuetudo populi recta eſt admittenda, etiam in cauſis Eccleſiaſticis terminandis, cum ſit recepta & introducta non ſolum a laicis, verum etiam a Clericis, qui populi appellatione comprehenduntur, *l. 1. C. de ſumma Trinit.* Valaſcus *conſultat. 100.* At vero ſi conſuetudo ſit iniqua, ex traditis ſupra nullo modo valet obſervari: quo caſu procedit textus *in d. c. cum cauſa*; cum conſuetudo ratione carens, corruptela potius ſit quam conſuetudo: ita Balboa *in c. 2. de judiciis, n. 89.* Unde cum in noſtro textu agatur non de conſuetudine juſta, ſed de iniqua, atque a ratione aliena, ideo ſtatuit Innocentius eam nullo modo obſervari debere.

C A P U T IV.

Idem *Lucio* a *Vicario* b *Conſtantinopolim conſtituto*.

QUanto de benignitate Sedis Apoſtolicæ locum obtines celſiorem, tanto tibi eſt ſolicitius procurandum, ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram, vel ad ſiniſtram, quod non minus re, quam nomine vices Apoſtolicas gerere videaris. Pervenit ſane ad audientiam noſtram, quod quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim ea Sacramenta præſumunt Fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore rite fuerunt ſolis *c* Pontificibus reſervata, ut eſt Sacramentum *d* Confirmationis, quod chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre, ad excuſandas excuſationes in peccatis, & ſui erroris fomentum, ſolam conſuetudinem prætendentes: cum diuturnitas temporis peccata non minuat, ſed augeat; quæ tanto graviora exiſtunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatam. Volentes igitur hæc, & alia quæ oculos divinæ Majeſtatis offendunt, de agro Dominico extirpari, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis diſtricte prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant, quæ licet non ſint a Fidelibus contemnenda, tutius tamen eſt ea ſine periculo ex *e* neceſſitate, quæ legem non habet, omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non ſine gravi periculo inaniter conferantur; cum alios quouſque ſubjectos tuos, & ab illicitis revocare ſatagas, & ad facienda bona verbo & exemplo pariter invitare: quibus quales pro te *f* litteras deſtinemus, ex reſcripti noſtri ſerie perpendere poteris evidenter, Dat. Laterani XVI. Kal. Decembris.

N O T Æ.

1 a *Vicarius.* Ita etiam habetur *in c. 3. hoc tit.* in tertia collectione, & in epiſtolis editis a Sirleto *p. 388.* ex quo codice ſupplenda eſt hæc deciſio. Vicarius Romani Pontificis, cui Innoncentius reſcribit in præſenti, licet habeat tantum juriſdictionem extra Urbem, & in his quæ circa Urbem ſunt, uſque ad quadraginta milliaria, ut de ejus officio & juriſdictione plura adducentes tradunt Flaminius Pariſius *de reſign. benef. l. 7. c. 24. num. 5.* Octavianus Veſt. *in praxi, lib. 2. c. 16.* Petrus Gregorius *p. 3. ſyntagm. l. 47. c. 35. n. 8.* Cohelius *in notitia Card. c. 55.* tamen plerumque mittitur in aliam provinciam ſuffultus auctoritate litterarum Apoſtolicarum. Cohelius *ubi ſup. c. 15. congregat. 8.* ut miſſus fuit Lucius ab Innocentio III. Conſtantinopolim eo tempore, quo ipſa civitas a Latinis occupata erat. Romani enim Pontifices uſu ipſo edocti, quantum conferret ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſervandam, in diſſitis longe provinciis Vicarios conſtituebant, ut probat Petrus Marcha *de Primatu Lugdunenſi*; quæ diſſertatio extat in appendice Concilii Claromont. & ita in Gallicana diœceſi Vicarium conſtituit Zoſimus anno 117. Arelatenſem Epiſcopum, & poſtea Hormiſdas Remigium Epiſcopum Rhemenſem, & Gregorius primus Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum in Hiſpanis Vicarium conſtituit, & ita per Conſtantinopolim Vicarius hic, cui reſcribit Innocentius, deſignatus fuerat. Idem Gregorius *l. 4. indict. 13. ep. 52.* Vigilius *epiſt. 7.* & Joannes VIII. *ep. 93. 94. 95.* eodem pene ſtylo delegaverunt Vicarios ſuos, ut adhibito competenti ſacerdotum numero, cauſas canonica & Apoſtolica auctoritate diſcuterent, ut referunt varia de his Vicariis congerentes, Rouſſelius *lib. 4. hiſtor. jurid. Pontif. c. 6.* Cabaſſutius *in notit. Concil. fol. 54. & 234.* ut aliqua corrigerent, emendarentque, & vices ipſius per omnia gererent, ut ex litteris infra referendis, quibus Innocentius jubet tam clericis, quam laicis Latinis Conſtantinopoli commorantibus, ut illum tamquam Vicarium Sedis Apoſtolicæ recipiant, conſtat; notavit Cironius *in c. unico de tranſact. in c. 2. de confirmat. utili, in 5. compil.*

2 Conſtantinopolis antiquitas. b *Conſtantinopolim.*) Conſtantinopolis olim dicta Byzantium, non ignobilis civitas fuit, ut ex Cicerone & aliis probat Angelus Petrica *de appellat. diſp. 3.* ſed poſtea multis cladibus exagitatam, & pluribus naufragiis jactatam, Imperator Caracalla reſtituit, teſte Spartiano *in ipſo*; ſed iterum ſub Gallieno oppreſſa & devaſtata fuit; tandem Conſtantinus eam mirifice auxit & illuſtravit, atque non tantum nomine, ſed reipſa illam alteram Romam fecit, unde caput civitarum dicitur *in §. ult. Inſtitut. de ſatiſdat.* & privilegia Urbis Romæ illi communicata fuerunt, *l. 1. Cod. de privilegiis urbis Conſtant. l. 1. C. Theodeſ. de jure Italico urbis Conſtantinop. can. 28. Concilii Calcedon.* Revardus *l. 3. conject. c. 17.* Bulengerus *diatriba 3. ad Caſaubon.* demum diviſo Imperio Sedes Imperatoris Orientis fuit, Reginaque totius Græciæ, juxta Sidonium.

Salve ſceptrorum Columen, Regina Orientis,
Orbis Roma tui.

Plura de ejus magnitudine, & laudibus poſt ſcriptores Byzantynæ hiſtoriæ tradunt Berterius *diatriba 1. c. 1.* Raby Moyſes Almoſinus *de magnit. Conſtantinop.* Bulengerus *de Imper. l. 1. c. 8.* Ipſa imperialis civitas temporibus Innocentii III. capta, occupataque fuit a Gallis, & Venetis, atque Genricus Flander Imperator renunciatus, Patriarcha vero electus fuit Thomas Maurocenus, juxta pacta & conditiones, de quibus nonnulla adducam *in cap. ſcriptum 40. de elect.* unde Latini permixtim habitabant cum Græcis, & a Latinis juxta ritus Eccleſiæ Latinæ ſacramenta accipiebant, Græci vero a Græcis juxta mores Græcanicos, *cap. quoniam 14.* ubi notabimus, *de offic. ordin.* unde cum Latini presbyteri præſumerent Latinis fidelibus Confirmationis ſacramentum adminiſtrare, ut Græci presbyteri fidelibus Græcis, ratione conſuetudinis Græcanicæ conferebant, Innocentius III. in præſenti Lucio Vicario ſuo Conſtantinopoli degenti jubet, ut inhibeat presbyteris Latinis, ne virtute prædictæ conſuetudinis audeant conferre Sacramentum Confirmationis, cum diuturnitas temporis eos non valeat excuſare & tutius ſit hoc ſacramentum omittere ex neceſſitate, quam ab eis qui conferre non poſſunt, inaniter ſuſcipere.

c *Pontificibus.*) Epiſcopis videlicet, qui plerumque in jure noſtro dicuntur Pontifices, *c. bonæ, el 3. de poſtulat. Prælat.* ubi notabimus; dicunturque Apoſtolorum ſucceſſores, Leo *ep. 66.* probant Cellotius *de hierarchia l. 6. c. 7.* Baſilius Legion. *q. 3. ſcolaſt. c. 9. pag. 183.* Villaroel. *t. 1. regim. Eccl. c. 1.* imo & aliquando Apoſtoli, *c. dominus, 93. d.* notarunt Savarus *ad Sidonium l. 5. ep. 7.* Bignonius *ad l. 1. formul. Marculſi, c. 2. fol. 434.* 3

d *Confirmationis.*) Ita appellatur Sacramentum hoc ab effectu. Melchiades Papa in epiſtola decretali ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Confirmatio armat, & inſtruit nos ad agonem vitæ iſtius*, D. Clemens *l. 3. conſtit. c. 17.* ibi: *Unguentum eſt Confirmatio confeſſionis, ſeu profeſſionis, ſcilicet fidei.* Et *c. ut jejunium, de conſecrat. d. 5.* Concilium Arauſicanum 1. *can. 1.* expreſſit Innocentius noſter *in c. unico §. per frontis, de ſacra unctione*, ibi: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur, & robur*: per hoc enim ſacramentum gratia cumulatior, & fidei acceptæ in baptiſmo robur præſtatur; & hoc ſenſu per Confirmationem Sacramentum Baptiſmi perfici docuerunt D. Clemens *ep. 4. decretali*, ibi: *Omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti percipere, quia aliter perfectus Chriſtianus eſſe non poterit, ſi non neceſſitate, ſed injuria, vel voluntate ſic remanſerit.* Et rurſus ibidem: *Niſi regeneratus fuerit ab Epiſcopo confirmatus, perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poteſt.* Melchiades *in d. ep. Ita conjuncta ſunt hæc duo ſacramenta, ut ad invicem, niſi morte præveniente, nullatenus poſſint ſegregari, & unum ſine altero rite perfici non poteſt.* Urbanus, & Melchiades relati a Gratiano *in cap. 1. & 2. de conſecr. diſt. 5.* Concil. Illiberit. *can. 38.* Laodic. *cap. 48.* notarunt Vicecomes *lib. 1. de ritibus Confirm. c. 2.* Diana *t. 5. tract. 3. reſol. 30.* Narbona *de ætate anno 7.* 4